KKe.1.

be 10

Q. D. B. V.

DISSERTATIO ANATOMICA,

DE

MIRACULO NATURÆ, UTERO MULIEBRI,

QUAM,

AUSPICE SUMMO ARCHIATRO,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS SALTZMANNI,

Med. Doct. & Anat. Prof. Publ. Ord.

nec non Capit. Thom. Canon.

h. t. RECTORIS MAGNIFICI,

DN. Patroni, Præceptoris ac Promotoris ſui,

omni obſervantiæ cultu venerandi,

SOLENNI PHILIATRORUM EXAMINI

SISTET

GUILIELMUS ANTONIUS Reiß/

ARGENTINENSIS,

AUCTOR ET RESPONDENS.

Die XXIIX. Decembr. M DCC XII.

horis locoque conſuetis.

ARGENTORATI,

Typis Viduæ JOH. FRIDERICI SPOOR.

MEDICAL SOCIETY OF LONDON

VIRO
DE REPUBLICA BENE MERITO,
MAGNIFICO,
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO, PRUDENTISSIMOQUE,
DOMINO,
JOH. THEOBALDO
Reiſz/
INCLYTÆ REIPUBLICÆ ARGENTORATENSIS
CONSULARI AC TREDECIMVIRO
GRAVISSIMO,
SATRAPIÆ
Jllkirch & Graffen-Staden/
PRÆFECTO DEXTERRIMO,
NOSOCOMII ARGENTINENSIS MAJORIS
DIRECTORI VIGILANTISSIMO,
PARENTI OPTIMO,
SEMPITERNO CULTU VENERANDO,
AMORE, MORE, ORE, RE,
τὸ ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν.

AUCUPENTUR alij Magnatum favorem, & degeneri adulatione quæſtuoſa divitum patrocinia mendicent; unum ego TE, BENEFICENTISSIME PARENS, & Patronum & Mecænatem expeto. Si ſolita me benignitate perges complecti (perges autem, uti confido, quoad vixeris) non erit in Principum aulis, quod ambiam. Ea mihi for-

tunarum amplitudo ſumma reputabitur, à TUO latere nunquam diſcedere, TUIS vel nutibus obtemperare, TE amare, colere, venerari; curas, vigilias, induſtriam omnem eò conferre, ut & morbos arceam à TUO corpore, & mœrorem ab animo. Hunc in ſcopum unicè collimant hæc mea ſtudia, quorum TIBI jam conſecro primitias medicas, uberiores poſtmodò fructus, cum maturuerint, oblaturus.

Ad omnia filii obſervantiſſimi
atque amantiſſimi obſequia paratus

GUILIELMUS ANTONIUS Reiß/
Med. Cult.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Exercitii Præſes.

EX quo tempore è Themidis caſtris, in quibus antehàc militaverat, ad Medicorum Scholas tranſiit Nobiliſſimus Dn. Reſpondens noſter, eò ſemper allaboravit, ut ſtudia ſua formaret, formata firmaret atque debitam ad maturitatem eveheret. Adeò ut ſpem jam conceperit, eadem talia incrementa cepiſſe, ut proprio niſu maturum ingenii ſui fœtum in lucem edere poſſet. Cui partui Academico, poſtquam de variis cogitaverat thematibus, Uterum tandem quam aptiſſimum judicavit, non inconſultum fore exiſtimans, ſi illam corporis mulicbris partem, in qua omnes in univerſum homines vitæ ſuæ primordia capiunt, tanquam ſtudii Medici primitias Philiatrorum cenſuræ offerret. Itaque ſuæ etiam originis memor Regum juxta ac in-

 fimæ

ſimæ ſortis hominum, imò totius generis humani commune pariter ac primum domicilium, quantum quidem Diſſertationis limites ferunt, perluſtrare ſecum conſtituit. Placuit autem Ipſi hoc potiſſimum viſcus, quod Marc. Malpighio, oculatiſſimo Naturæ Indagatori, omnium obſcuriſſimum audit, publicæ luci exponere, vel quia ejus ſtructura & ſpecialia munia non adeò multis abhinc annis ſacro tecta velo latuerunt, vel præcipuè, quia mirabilia DEI circa fœtus conceptum & formationem, quæ tacita magis veneratione mirari, quam nimia curioſitate rimari licet, in ſecretiore hac officina quotidie perpetrantur. Hæc DEI myſteria uti à profanis oculis mentibuſque omni utique ſtudio removeri debent, ita tamen ab iiſdem non omnes adeò arcendi ſunt, ac à Sacris (ſi quidem ita appellare fas eſt) Bonæ illæ apud Romanos Deæ, quæ, teſte Plutarcho in vit. Jul. Cæſ. detegere mulieribus nefas, & ſolùm vidiſſe viris capitale erat. Quod reliquum eſt, animitus apprecamur, ut ſpecimen hoc Academicum MAGNIFICO DOMINO PARENTI uberrimam lætandi de Filii profectibus materiam, Dn. Reſpondenti verò unanimem Eruditorum applauſum pariat.

THESIS. I.

Thesis I.

CUm juxta Galenum principium diſputationis cujuſvis rei nomen eſſe debet, dilucidaque vocum interpretatio genuinam ſæpè numero rerum intelligentiam pariat, nonnulla de Etymologia, Homonymia, atque Synonymia Uteri in medium proferre animus nobis eſt, ita tamen, ut vocum explicationi tanquam cortici non nimium inhæreamus. *Etymologiam* itaque quod concernit, nomen Uteri originem ſuam traxiſſe vulgò videtur à latina voce *Uter*, Græcis ἀσκὸς, cujus denominationis rationem recenſet Plazzonus *de part. genit. l.* 2. *c.* 7. *quoniam,* inquiens, *cavus eſt, & utris modo fœtum continens impletur & diſtenditur.* Ridet verò hanc derivationem Lindenius *Phyſ. Med. l.* 7. licet Plinius hûc quoque inclinaverit. *Hiſt. Nat. l.* 11. *c.* 37. qui tamen magis à voce *Utriculus* uteri natales deducit. *Annon autem hac vox videri poſſit origine Græca eſſe, & vel ab* ὑςέρα *Uterus derivatus? vel ab Æolico* ὄτερ@, *ut ſit quaſi* ὁ ἕτερ@, *alter venter? quæ conjectura eſt accuratiſſimi Scaligeri ad l.* 2. *Hiſt. anim. Ariſt. c.* 2. *Philologis examinandum relinquit* Blaſius *Not. ad Veſling.* Uterum verò ab ὑςέρα derivare velle, mira & vix uſitata metamorphoſi opus eſt. Quidam explicationem derivationis Uteri ab utre à turgeſcentia ſive inflatione deducunt, dum quidquid inflari ſolet, Utrem appellant, qualis extenſio quoque in Utero humano toto graviditatis tempore obſervatur. Sed ſi dicendum quod res eſt, hoc ſenſu multi in corpore uteri exiſterent, quandoquidem veſica urinaria, inteſtina aliaque viſcera æquè ac Uterus extendi ſolent; id quod veritati quam maximè contrarium eſt. Quod verò *Homonymiam* ſpectat, vix πολύσημον eſt vocabulum Uterus, niſi quod nonnullis,

Etymologia. Uter. Utriculus. ὑςέρα. ὄτερ@ ſive ὁ ἕτερ@. *Homonymia.*

Venter ſive abdomen & Furnus Uterus dicitur.

nullis, Poëtis præſertim, etiam denotet totum *ventrem ſeu abdomen.* Sic Virgil. *l.* 2. *Æneid. de equo Trojano.*

Uterumq; armato milite complent.

Sic etiam Chymicis vel *furnus* in genere vel certa ejus ſpecies *Uterus* dicitur. vid. Theatr. Chym. *vol.* 1. *p.* 571. quippe in quo veluti in utero quotidiè fœtus ſpagirici concipiuntur, formantur & ad maturitatem deducuntur.

Thesis II.

Synonymia

Cum verò non una duntaxat coloris ſpecie menti ſeſe inſinuent nomina rerum, ſed in vaſtis Doctiſſimorum Virorum monumentis variorum titulorum ſplendoribus ſeſe conſpicienda præbeant, varia Uteri Synonyma indigitare, non omninò à ſcopo noſtro alienum erit. Latinis quidem Uterus frequentiſſimè *Matrix*, quaſi communis generis humani mater appellatur, *quia*, ut Regn. de Graaf verba huc trahamus, *quamdiu fœtum in ſe continet, matris vices in alendo ac conſervando gerit, vel quia pars illa matres efficit, ſi enim illâ carerent mulieres, nunquam matres fierent.* Gradius Mediolanenſis *in comment. in IX. Rhaſ. ad Almanſ. c.XIV. de exit. ſive diſpoſit. uter. p.*369. *Auctores medicinæ,* inquit, *utuntur hoc termino* (Matrix) *diverſo modo, nam aliquoties per matricem intelligunt ſolam concavitatem vel ſinum, in quo generatur embryo & recipitur materia generationis ejus, aliquoties accipiunt Matricem, non pro illa tantum vacuitate, ſed pro membro organico, compoſito ex diverſis membris etiam ſecundum ſpeciem differentibus ad unum finem principaliter ordinatis, vel ſervientibus ut ad generationem. Quo modo etiam Uterus videtur accipi, dum* loci muliebres *dicitur.* Qui terminus Plinio atque Varroni potiſſimum familiaris eſt, idque eam ob cauſam, quia hiſce in locis naſcendi initia conſiſtunt. Aliàs etiam JCtis generali nomine *Venter* vocatur. Item aliis *Utriculus,* quaſi parvus Uter; ſæpiſſimè verò *Vulva,* quod Celſo etiam probatur; quamvis Plinius id ipſum de brutis animalibus magis intelligendum eſſe putet. Nec non *Sinus muliebris,* ut & *Genitura, Poſtrema, Ovum,* teſte Regn. de Graaf *de part. gener. mul.*

dicitur Matrix. Cur Matrix denominetur?

Unde loci muliebres.

Venter. Utriculus. Vulva.

Sinus muliebris. Genitura. Poſtrema. Ovum.

mul. c. 8. Quæ tamen de externis magis partibus generationi inſervientibus, quam de internis, qualis Uterus eſt, accipi debent. Scaligero *exercit.* 131. *Faviſſæ,* eæque divinæ, in quibus theſauri naturæ conſecrati deponuntur, & Joh. Svvammerdammio *miraculum naturæ*, titulo rei quam maximè conveniente, vocatur. Aliàs etiam non ineptè *arvum muliebre*, aut *ager naturæ* ſalutatur, utpote cui ſemen animale in ſpem lætæ meſſis committitur. Gallis nomine *de la Matrice, où du Ventre d'une femme* venit. Hippocrates, ut ex Latio in Græciam navigemus, hanc partem plerumque ὑστέραν, ἢ ὑστέρην, & Ariſtoteles μήτρην ſeu μήτραν: aliqui etiam, referente Adr. Spigel. *Fabr. Corp. hum. l.* 8. *c.* 19. γαστέρα appellant, ex quo ſacris literis uſitata phraſis, ἐν γαστρὶ ἔχειν, utero gerere, nata eſt. Dicitur etiam Polluci δελφὺς, ἀφ' ἧς καὶ ἀδελφοὶ, fratres uterini; Hippocrati denique aliiſque γονή: Germanis **die Mutter oder die Bährmutter** / aç ſi diceres, **die Gebähr-Mutter**; quibus porrò nominibus apud Græcos & alios inſignitus fuerit, apud Riolanum & Rolfincium videri poteſt. Hujus ulteriorem indagationem ab inſtituto noſtro magis remotam tranſilimus, major enim ratio habenda eſt rei, quæ nominatur, quam nominis, quo inſignita eſt; undè ad πραγματολογίαν uteri enodandam deſcendimus.

Faviſſæ. Miraculũ naturæ. Arvum muliebre. Ager naturæ. la Matrice ou le Ventre d'une femme. ὑστέρα ἢ ὑστέρη. μήτρα. γαστήρ. δελφύς. γονή. **Die Mutter oder die Bährmutter.**

Thesis III.

Unica quidem rei eſſentia eſt, ſed diverſiſſimæ apud varios Authores ejus explicationes, quæ adeò interdum extenduntur, ut extra definitionis legitimæ limites in amplos deſcriptionum campos excurrant; ſicque dum, quod eſt in re involutum, evolvere, &, quod eſt obſcurum, explicare cogitant, potiùs obſcurant & involvunt, quô fit, ut ſtomachus excitetur & animus ſciendi cupidus & claris conceptibus aſſuetus æquè perturbatus, reique, ut anteà ignarus relinquatur. Quamvis, ut verum fateamur, in explicanda corporis œconomia vel nullas vel paucas admodum definitiones logicas, ſed nonniſi deſcriptiones lectori exhibere poſſimus. In Uteri itaquè definitione tradenda mediâ incedemus viâ, di-

Definitio.

centes,

centes, *quod ſit pars corporis muliebris organica, membranoſo-ſpongioſo-fibroſa, ad pyriformem accedens figuram, in aqualiculo veſicam inter & inteſtinum rectum ſita, tum auræ ſeminis virilis, ut & ovulo recipiendo, tum etiàm fœtui fovendo, nutriendo & ſuo tempore excludendo dicata.* *Pars* dicitur Uterus, & quidem *corporis* muliebris, quia ad illius conſtitutionem & perfectionem neceſſariò concurrit; ita ut ſine hac parte imperfectum & monſtroſum foret, ſive enim Galenica partis definitio, ſive Ferneliana cuipiam arrideat, matrix ex albo partium expungi nullò modo poteſt. Appellatur præthereà *pars organica*, idque eam ob cauſam, quia ex variis partibus conflatus, certam, determinatam ac ſenſibilem conformationem nactus eſt, eum in finem, ut peculiari actioni peragendæ aptus eſſet. Ad quam aptitudinem porrò requiritur ſitus, figura, magnitudo, aliaque; Et hac ratione à partibus inorganicis & miniſtris, quæ partium organicarum actionibus ſubordinantur, differt. Reliqua, quorum in definitione mentio facta eſt, in ſequentibus enodabuntur. Cui verò volupe eſt legere plures uteri deſcriptiones vel vagas nimium, vel etiam mancas, adeat Joh. Phil. Eyſelium *in compend. phyſiolog.* ut & rei Anatomicæ Scriptores, & erit ſui voti compos.

Unde pars corporis dicatur.

Cur organica.

Thesis IV.

Numerus.

Natura uti mirabilis in ſuis effectibus & operationibus deprehenditur, ita magis admiranda & ſtupenda nobis occurrit, dum varium ejus in variis corporibus luſum oculorum mentiſque acie intuemur, id quod in Utero etiàm obſervamus, quippè qui *in muliere* conſueto naturæ ordine non niſi *unicus* eſt, *in animantibus brutis varius* numero invenitur; Eſt enim in illis communiter bipartitus, & partes, in quas duorum cornuum inſtar bifurcatur, *cornua dicuntur*, quæ duplicis Uteri loco habentur, licet cornuum figuram *non in omnibus brutis referant*, eo modo, quo in Vaccis, Cervis, Ovibus, Capris &c. Sunt quidem aliqui, qui *Uterum muliebrem* etiam *duplicem* obſervarunt, inter quos referri meretur Dn. Littre *Hiſt. Acad. Reg. Scient. Anno* 1705. in puella 2. menſ. Ephem. Germ. *Dec. I. Ann.*

In homine unicus. In animalibus dividitur in cornua; non tamen in omnibus. Quandoq; veluti geminus in ſexu ſequiore.

Ann. 1. *Obſ.* 110. Sic etiam Sylvius in puella uterum veluti bicornem, uti in multiparis vidit. Alii cornua eidem quoque tribuunt, ſed cornuum nomine non intelligere videntur ea conceptionis loca, quæ cornua in brutis dicuntur, in quibus omnia ferè animalia vivipara, præſertim multipara concipiunt, ad quæ etiam omnes venæ & arteriæ Uterinæ feruntur, quibuſque reliquæ partes genitales inſerviunt. Cornua namque ex analogia humano quoque Utero tribuerunt Authores, quia ad latera fundi matricis protuberantia quædam utrinque conſpicitur, quæ cornubus Uteri cæterorum animalium figurâ aliquo modo reſpondent. Utramque hanc Leonh. Fuchſius *Inſt. med. l.* 1. *ſect. V. c. XIII. de inſtr. propag. ſpec. famul.* enarrat; *Superior*, inquiens, *Uteri pars utrobiq; veluti in duos obtuſos, uti jam diximus, angulos deſinit, qui re vera veteribus Anatomicis cornuum vice habiti ſunt, quosq; ſuo jam tempore Herophilus naſcentibus vitulorum cornubus aſſimilans, κέρατα & κεραίας appellavit*; ab aliis Tubæ Fallopianæ ob figuræ ſimilitudinem, ab aliis vero ligamenta illa, quibus teſtes muliebres Utero adhærent, & *vaſa deferentia* vulgò nuncupantur, pro cornubus venditari ſolent. Nam cum aliqui mulieres etiam in tubis fœtum geſtantes deprehendiſſent, in eam incurrerunt conjecturam, tubas iſtas à primo earum deſcriptore Fallopianas dictas cornua eſſe, ſeu duplicis uteri vices gerere, in iiſque conceptionis & generationis ſolennia celebrari; cujus rei exemplum annotavit ex Bauhino Schenckius *Obſ.* 108. *l. IV.* Riolan. *animadv. in Laurent.* & ante hos Jul. Obſequens & Iſidorus. Pariſiis etiam talia obſervata fuiſſe ſcribit Tilingius. Sic Bened. Vaſſalius Chirurgus in *Act. Anglic.* 1669. notat, ſe in corpore mulieris 32. annorum *duas matrices* reperiſſe, in quarum altera, quæ vera dici meretur, undecies; in altera vero, quam adjunctum uterum vocat, ſemel tantum conceperit. De qua obſervatione maxima inter Anatomicos lis exorta eſt; Riolanus enim *Anthrop. l.* 2. *c.* 35. ut & Regn. de Graaf non dubitant aſſentiri Henr. Oldenburgio tale de extraordinario hoc conceptionis loco judicium ferenti; *id quod à Domino Vaſſalio hujus relationis publicatore ſecundus Uterus*

Uterus duos habet angulos, quos alii Tubas Fallopianas, alii vaſa deferentia nominarunt. Vaſa deferentia.

Duæ matrices à Vaſſalio repertæ.

exiſti-

exiſtimatur, nihil aliud eſſe videtur, quam vera matrix extenſa, vel id, quod Anatomicis tuba Fallopÿ vocatur; quibus aſſentitur Tilingius *Exerc. de Tuba Uteri.* Cum è contrario Franc. Mauriceau *tr. des Maladies des femmes groſſes* contendat, ſupra nominatos naturæ indagatores cum multis aliis deceptos fuiſſe, malitque Vaſſalii de duplici Utero verbis ſcrupuloſè inhærere; quod tamen nequè rationi nequè avtopſiæ conforme eſſe videtur. Hiſtoriam porrò duplicis uteri legere licet apud Joh. Fabrum *in Hiſt. Mexic. Not. f. 547.* Galenus etiam cum ſuis aſſeclis mulierum Utero cornua affingit, ſed hoc non miratur de Graaf, quoniam ille, referente Veſalio *l. V. Anat. c. 15.* ne per ſomnium quidem muliebrem Uterum unquam inſpexit, ſed tantum Vaccinum, Caprinum, Ovillum, &c. in quibus cornua reperiuntur. Isbr. de Diemerbrœck *Anat. l. 1. c. 14.* quòd de cornubus vulgò traditur nòn de ipſo Utero, ſed potiùs de interiore Uteri cavitate intelligendum eſſe putat. Verùm quicunque duobus cornubus Uterum ornare geſtiunt, errare videntur. Nolimus quidem credere, quod intelligant aliam matricem ſimilem illi, quæ in naturali ſua conſtitutione numeris omnibus & partibus abſoluta conſpicitur, in corpore muliebri connatam eſſe: debent ergò intelligere alio modo Uterùm, quem ut locum generationis & conceptionis ſumere arbitramur, prout nempè pars illa eſt, in qua conceptionis abſolvitur negotium; ſic duas partes eſſe exiſtimant, conceptioni inſervientes, quæ cornua, ut ſupra dictum, nuncupantur; obſervationibus verò ſuis ſeducti, qui geminum uterum in corpore muliebri obſervaſſe ſibi viſi ſunt, eam temeritatis notam non ſubibunt, ut duplicitatem hanc, quæ monſtroſus naturæ partus eſt & præter naturam contingit, ad quodvis fœminæ corpus in naturali ſua proportione conſtitutum extendant; quod enim præter naturam accidit, ad ordinaria non eſt reducendum; nequè unus caſus præternaturalis, unicaque avtopſia contraria innumeras obſervationes & rationes deſtruere poteſt. Exiſtimamus itaque uterum, qui pro vario naturæ luſu & diverſa extenſione plures aſſumere figuras poteſt, ſub duplicis matricis ſpecie multorum oculos fefel-

Quarum altera nil niſi tuba Fallopii eſſe videtur.

Galeni ſententia de Cornubus refutatur.

Illa Diemerbrœckii.

Noſtra ſententia.

feſelliſſe, quemadmodum Sylvius *Append. Iſag. Anat.* de ſuo utero bicorni ingenuè fatetur. Malè autem agunt ii, qui nomine cornuum duos intelligunt uteros, & ex tubis uteros formant, in quibus interdum, quamvis raro fœtus inventus fuit, quod tamen ſemper præter ordinarias naturæ leges fieri aſſerimus; tubas namque non uteros eſſe avtopſia teſtatur, longèque alii iſtas muneri deſtinatas eſſe, hodienum conſtat. Nonnulli denique ad interiora uteri penetrantes, ejus duplicitatem in cavitate quærunt, analogiam deſumentes à nonnullis animalibus brutis, in quibus hæc pars varias in cellulas diviſa cernitur. vid. Diemerbr. *l.* 1. *Anat. c.* 24. Undè antiquiſſimis jamjam temporibus prognatus eſt error, ac ſi dextra matricis pars maribus, ſiniſtra verò fœmellis ſolùm deſtinata eſſet. Quamvis non negemus, viſceris hujus cavitatem ordinariè linea quadam per longitudinem exporrecta, aut etiam (quod rariſſimum eſt) ſepto quodam intermedio diſtinctam eſſe, cujus uteri bipartiti exempla nobis reliquit Joh. Riolan. *Anthrop. l.* 2. *c.* 34. & Ephem. Germ. *Dec. II. Ann. V. p.* 143. Et hinc natales duxit quæſtio, quam Caſp. Bauhinus *app. ad Roſſet. de part. Caeſ.* movet; Num mulieres, quæ ſuperfœtare ſolent, aut plures, quam duos fœtus generant, uterum bipartitum habeant? cujus deciſionem brevitati ſtudentes omittimus. Quidquid ſit, ſuperficialis ejuſmodi linea non poteſt duplicem efformare uterum, quem unicum agnoſcimus; quod autem uterus omnino deficiat, quale exemplum in Ephem. Germ. *Dec. II. Ann.* 7. *obſ.* 141. proſtat, rarum admodum eſt, & vix plus una vice occurrit.

Per tubas malè uterus intelligitur.

An ſuperfœtantibus mulieribus uterus ſit bipartitus, ut & gemellos generantibus?

Thesis V.

Situs.

Porrò cum natura omnia providè agat perficiatque, partem, quam in corpore humano certis functionibus deſtinavit, non tumultuario in locum quemvis & ſpatium incongruum protrudit conatu, ſed maximam loci rationem habet, in quo pars magis ad ſua munia ritè obeunda apta redditur; talemque locus & pars inter ſe proportionem habent, ut locus propter partis circumferentiam, pars verò ad loci am-

bientis

bientis opportunitatem excogitata fuiſſe videatur. Id quod luculentiſſimè videre eſt in utero, qui in eo degit ſpatio, quo aptius naturæ providentia inveniri non potuit; *Situs autem eſt,* ut Steph. Blancardi ore *Anat. Ref. c.* 28. loquamur, *in hypogaſtrio ſeu abdominis vel imi ventris parte infima, quæ pelvis dicitur, ubi inter veſicam & inteſtinum rectum tanquam inter duo pulvinaria collocatur, ut homines ex fragili & peritura materia inter ſtercus & urinam nati ac in terram & cinerem reſolvendi vilis & abjectæ ſuæ conditionis memores ſuperbiæ alas demitterent. Primariò tamen hic uterum collocatum exiſtimamus, quia locus ille generationi aptiſſimus eſt, nam non ſolùm ſine ullius partis læſione pro fœtus amplitudine in magnam diſtenditur molem, verùm etiam ab omnibus externis injuriis protegitur & conſervatur; ab anteriori namq; parte ab oſſe pubis, à poſteriori ab oſſe ſacro, à lateribus ab oſſibus Ilion tanquam tutiſſimis mœniis circumdatur; atque etiam parituro fœtui inde exitus ad inferiora facilis eſt.* Rectè igitur exclamat Columbus: Quid gloriaris ô homo, quid ſuperbis homuncio, terra & cinis, inter excrementa natus! & hanc ob cauſam non notante magis Plazzono *de part. gener. c.* 7. quam monſtrante experientia, *coxarum capacitas mulieribus viris multo eſt amplior, unde & nates habent latiores.* Idem Plazzonus *l.* 1. *c.* 27. varias etiam annotati ſitûs rationes allegat, inprimis illam, quod in amplexibus Venereis aura ſeminis virilis longè felicius fœcundiſſimo naturæ agro concredi poſſit; Quas tamen omnes veluti in compendio nobis inculcat Galenus *l. de diſſert. vulv.* dum *locus ille,* inquit, *utero commodiſſimus eſt, tum ad uſum Venereum & ſeminis receptionem, tum ad fœtûs incrementum, tum etiam ejuſdem maturi commodam excluſionem.* In gravidis ſitus hujus partis nonnihil variat, in quibus pro varia fœtûs magnitudine aut numero magis minuſve ad ſuperiora extenditur & quo majorem gravidæ fœtum geſtant, eo altius uterus in ventrem aſſurgit, quia cavitas pelvis non ſufficit capiendo prægrandi Utero, uno vel duobus infantibus unà cum ſecundinis; adeò ut nonnunquam ad umbilicum uſque & ultra exporrigatur. Porrò in iiſdem non raro etiam obliquum aut alium pravum ſitum obtinere obſervatur, quod

Cur in abdomine ſitum habeat?

Columbi exclamatio circa locum nativitatis.

Ratio ſitus ex Plazzono.

ex Galeno.

Situs uteri obliquus.

quod ipſum quatuor potiſſimùm modis contingere poſſe Henr. à Deventer *in nov. lum. obſtetric. c.* 11. docet, quamvis ordinaria naturæ lege in medio locata ſit matrix, neque ad ullum latus inclinet. Quod verò dextram verſus partem, ubi marem, & quod ad lævam nutet, ubi fœmellam utero gerit mater, uti quidem vult Bartholinus *Anat. l.* 1. *c.* 28. à ratione pariter ac experientia omninò alienum eſt.

Thesis VI.

Ex hoc ſitu fluit admiranda partium connexio & inde dependens ſtupendus earum conſenſus, quippè quæ tam arcto reciprocoque nexu ac veluti conſanguinitatis vinculo conjunctæ ſunt, ut ſi mutuum, quod inter ſe habent, commercium diſſolveretur, univerſa ferè œconomiæ animalis harmonia periret; cujus rei Uterus pars corporis muliebris penè princeps certiſſimus teſtis exiſtit. Ille namque alligatur partibus vicinis beneficio vel membranarum, vel ligamentorum, vel vaſorum, vel denique nervorum; & quidem colli parte antica cervici veſicæ, poſtica verò inteſtino recto, & nonnihil oſſi ſacro & iſchio annectitur; ſic etiam fundo adhæret oſſibus pubis & ilii, aliiſque partibus vicinis per ligamenta lata & rotunda, de quibus infrà agetur; nec non tubis Fallopianis & ovariis mediante ligamento peculiari. Pari ratione arctiſſima certo tempore fœtum inter & Uterum connexio intercedit; quam maximè verò per vaſa ſanguifera & nervos variis infimi ventris, imò totius corporis viſceribus alligatur; Et hinc fluit *mirus* uteri *cum multis aliis partibus conſenſus*, qui in veterum ſcholis modo à generis ſimilitudine, modo ab uſus ſocietate, modo etiam à vaſorum communione, modo denique à loci vicinia oriri credebatur. Sed quod primam & ſecundam hujus conſenſus ſpeciem ſpectat, illas valdè impropriè in hunc cenſum venire multis annotavit Fr. Bayle *diſſ. de conſenſ. var. corp. part. cum Utero.* ubi ſimul oſtendit, quam latè ſeſe extendat hæc Uteri cum aliis partibus ſympathia vel à loci vicinia, ſeu ſitu aut continuitate, vel etiam à vaſorum communione dependens; Quam, ut clarius

Connexio.

Cum quibus partibus.

Uteri cum aliis partibus conſenſus,

rius adhuc illa pateat, nonnullis in partibus ulteriùs demonſtrabimus. Et ut à capite ordiamur, conſenſum matricis cum capite & cerebro præſertim inculcat Barthol. *Cent. III. Epiſt.* 14. Lang. *l.* 1. *Epiſt.* 49. hinc affecto utero occipitis dolor. Galen. comm. 6. Epidem. cum collo. Ephem. Germ. *Dec.* I. *Ann. V. I & VII. obſ.* 73. cum corde & pulmonibus, quem frequentes lipothymiæ indè oriundæ teſtantur. Inprimis verò inſignis & ſpeciali naturæ providentia utero inſitus eſt cum mammis, id quod Hippocrates in aureo Aphoriſmorum libello abundè probavit, *Sect.* 5. *Aphor.* 37. 38. 39. 40. 52. 53. Item *l. de nat. puer.* Sic etiam Harvæus *exerc. de part.* quo modo à varia mammarum diſpoſitione ad Uteri ſtatum argumentari liceat, oſtendit. Qui, utrum ab uſus ſocietate juxta veteres, an ſecundum Recentiores à vaſorum communione, hypogaſtricorum ſcilicet cum mammariis anaſtomoſi, utpote dubia, derivari poſſit, adhuc ſub judice lis eſt. Porrò Uteri Sympathiam cum ventriculo, liene, hepate, lumbis & renibus, veſica item & inteſtino recto, imò toto corpore prolixè demonſtrat Mœbius *Fund. Med. Phyſ. c.* 20. quam ultimam vivis etiam coloribus depingit Harvæus exerc. de part. ubi p. 519. ait: *Uterus eſt pars principalis quæ totum corpus facilè in conſenſum trahit. Nemini ſanè (paulùm ſaltem exercitato) ignotum eſt, quot prava ſymptomata Uteri aſcenſus, deſcenſus, perverſio & convulſio concitent, quàm ſtupendas animi aberrationes, deliria, melancholias & furores tanquam incantamento faſcinatis, affectus uteri præternaturales incutiant, quot etiam morbos ægrè curabiles, menſtruorum depravatum profluvium, aut Veneris uſus nimis diu intermiſſus valdeq; deſideratus inducant. Nec minùs notum, quanta Virgini alteratio contingat, increſcente primum & tepefacto utero, pubeſcit nempè, coloratior evadit, mammæ protuberant, pulchrior vultus renitet, ſplendent oculi, vox canora, inceſſus, geſtus, ſermo, omnia decora fiunt, morbique graviores hoc ipſo tempore, vel nunquam curantur.* Arctam fœtûs cum utero communionem, ut & phænomena indè oriunda vide P. Malebranche *de inquir. verit. l.* 2. *part.* 1. *c.* 7. Plura qui legere geſtit de hoc uteri cum variis partibus conſenſu adeat Fr. Bayle Diſſ. ſuprà allegatam.

Præſertim cum mammis.

THESIS

Thesis VII.

Figuram uteri quod concernit, non eodem modo ſeſe oculis conſpiciendam præbet, ſed Proteo ferè mutabilior exiſtit hæc pars: Quemadmodum enim magna inter corpora humana, quoad externam ſpeciem, intercedit diverſitas, ita etiam varia, licet non tanta partium internarum humanum corpus conſtituentium diſcrepantia reperitur, idquè pro diverſa ætatis aliarumque circumſtantiarum ratione. Hinc etiam varia ipſi utero à variis figura tribuitur, alii namque, uti Plazzonus, eam rotundam, alii, uti Riolanus fil. pyriformem & orbicularem ſtatuunt. Adr. Spigelius & Isbr. Diemerbrœck illam cucurbitulæ Chirurgorum aſſimilant, cum ex latiore fundo in anguſtum os coarctetur; cujus etiam ſententiæ ſunt Soranus & Fallopius, quippè qui fundum exactè rotundum deprehenderunt. Quos tamen increpat Regn. de Graaf eam ob cauſam, quia fundus uteri, avtopſia teſte, antè & retrò depreſſus eſt, cucurbitulæ verò exactè rotundus, imò adhuc magis à veritate aberrare autumat iſtos, qui illum quadratum aut rotundum pronunciant. Ab aliis ferè triangularis, præſertim in non gravidis dicitur, ſuperne latus, inferne anguſtior, fermè, uti lagenæ, quibus ſolet tranſportari aqua ſpadana, verba ſunt Cl. Verheyen; ſed audiamus quoque Joh. van Horne *Microcoſm. p.* 107. & Cl. Mœbium *Fund. Med. Phyſ. c.* 20 *ſi unà cum collo*, inquientes, *& ſinu pudoris expendatur Uterus, figura ſua refert urinale, ſeu vas vitreum, quale Medicis, ut urinam inſpiciant, offerri ſolet, quamvis uterus compreſſus, non ut illud, rotundus ſit.* Quod autem miram hanc figuræ diverſitatem ſpectat, dicendum, illam magna ex parte locum habere, ſed nonniſi in vario uteri ſtatu; hinc modo laudatus Regn. de Graaf iſtam optimè conciliat; *alia*, inquiens, *eſt in gravidis, alia in non gravidis*; *In his pyri quodammodo figuram repræſentat. In gravidis verò*, pergit, *prioribus menſibus veſicæ urinariæ non abſimilem eſſe, pedetentim tamen magis magiſque diſtendi, & quidem ità, ut ſi collum ejus excipias, poſtremis menſibus ad figuram ſphæricam proximè accedat.* Sic etiam pro varia fœtus ſituatione nunc hac, nunc illa parte protuberat, atque

Figura, Diverſa exiſtit

Ratione circumſtantiarum.

que aliam figuram induit. Id quod etiam Adr. Spigelius *Fabr. Corp. Human. l. 8. c. 19.* de illa, quam utero ipſe aſſignat, figurâ ingenuè fatetur, dum, *hanc tamen,* inquit, *non ſemper ſervat, ſed nonnihil in gravidis immutat, undiq; in rotundam ſphæram ſeſe conglobando; ex quo Galenus veſicæ urinariæ aſſimilabat.* Aliter porrò in puellis, aliter in nubilibus, aliter in mulieribus adultis, aliter deniquè in vetulis ſeſe exhibet. Adeò ut conciliari poſſe videantur hæ Authorum de Uteri figura lites, ſi ætatis atque conditionis, in qua mulier vivit, uti ſuprà dictum eſt, imò & conceptuum, quos naturæ Myſtæ habuerunt, ratio habeatur. Sic, qui Uterum rotundum ſtatuunt, fundum utpotè rotundum pro utero propriè habent, qui verò in fundi ſolius tanquam partis uteri ſupremæ conſideratione non acquieſcunt, ſed ad inferiorem quoque partem, uti quidem fieri debet, oculos deflectunt, prout nimirum extenuatur & gracileſcit, illi modò cucurbitulæ, modò triangulo obtuſo, modò pyro aſſimilant, quæ tamen corpora, ſi figuram ſpectas, non multum à ſe invicem diſcrepant. *Noſtra ſententia de Uteri figura.* Concludimus itaque, quod matrix vel pyro, vel cucurbitæ medicæ, vel etiam vaſi urinali latiore ſui parte nonnihil depreſſis comparari poſſit. Figuræ verò ejus peculiares & admiratu dignæ, quarum exempla Ephem. Germ. *Dec. I. Ann. I. Obſ. 34.* & *D. II. Ann. VI. app.* nihil derogant iis, quæ ſecundum ordinarias naturæ leges fieri diximus.

Thesis VIII.

Diviſio. Uterus quamvis ſit unus idemque ductus, quia tamen diverſæ in eo reperiuntur partes, commodè etiam ab Anatomiæ Scriptoribus diſpeſci ſolet. Id dum faciunt, ipſi varias in partes dividuntur. *Sorani & Moſchii,* Veteres primùm, uti Soranus & Moſchion in gynæc. referunt, orificium externum στόμα, deinde collum, τράχηλον, poſteà cervicem, αὐχένα enumerant; πᾶσα δὲ αὐτῶν σωνδρομὴ, omnis horum concurſus χοελον vel χωελον ipſis dicitur, aut κῦτος, aut καυλὸς, & omnis inanitas, quæ in medio eſt κόλπος, ſinus, conceptaculum; ſupernè ubi dilatari incipit uterus, ὦμος, partes paulò ſuperiores πλάγια, colli oſculum

ὁ πρω-

ὁ πρῶτος πόρος ipſis vocatur; de quibus vide Polluc. *Onomaſt. l.* 2. *c.* 4. Spigelius *Fabr. Corp. Hum. l.* 8. *c.* 19. eum dividit in cervicem, oſculum & fundum, ſed in eo peccare videtur, quod cervix ſeu collum ei appelletur illa pars, quam vulgò vaginam dicunt. Laurentius autem in fundum, os internum ſeu cervicem, collum uteri, & ſinum pudoris; quocum in partitione conveniunt Pinæus & Cl. van Horne. Nec ab his multum abludit Veslingii diviſio in fundum, cervicem & vaginam, cujus extremum, inquit, pudendum muliebre eſt. Brevior eſt illa Plazzoni in fundum & os, ille tota ea pars ipſi eſt, quæ ab orificio interno uſque ad finem aſcendendo ſeſe extendit, & verſus os anguſtior ſenſim dilatatur uſque ad intima. Ne autem juſto diutius his immoremur, atque entia præter neceſſitatem multiplicare videamur, ſatius eſſe putamus cum Dn. de Marchettis *Anat. c.* 7. proprium uterum in duas tantum partes dirimere, ſcilicet in fundum & cervicem, cujus pars oſculum uteri internum exiſtit. Fundus eſt præcipua moles uteri ejuſque pars ſuprema, & quàm maximè elata, omnium quoque nobiliſſima, propter quam reliquæ conſtructæ ſunt, craſſior in non gravidis & durior, flexuoſis cornuum eminentiis nullis in humano ſexu contorta; quamvis nonnulli, errore in Anatomicorum ſcholis frequentiſſimò, ad corpus humanum transferant ea, quæ in brutis obſervarunt, ſequiori pariter ſexui cornua affingentes, qualia in his reperiuntur. vid. Harvæum *de Gener. Animal. Exerc.* 65. quorum varias figuras, eaſque elegantes unà cum cellulis exhibet Mauriceau *tr. des maladies des femmes groſſes.* Vaſa quidem, deferentia vulgò ſic dicta, quæ utrinque aliquam ad fundi latera protuberantiam habent, ejuſmodi cornua mentiuntur, ſed revera non conſtituunt, de quibus cum ſuprà jam nonnulla dixerimus, ad alia pedem movemus. Qua itaque parte ex latiore ambitu ſenſim anguſtior evadit fundus, cervicem conſtituit, quam cum vagina paſſim Authores confundunt. Hujus nomine intelligit Fallopius eam uteri partem, quæ ab orificio interno longitudine duorum vel trium digitorum interius exporrigitur, donec amplificari incipit uterus;

Spigelii, Laurentii, Veslingii, Plazzoni, Noſtra.

uterus; Corpuſculum eſt oblongum, ſatis durum, veluti calloſum & quaſi cartilagineum, undè ab Herophilo laryngi comparatur, cum exactè claudatur in conceptu, ubi ſemen in uterum recipitur, in enixu vero aperiatur; pollicari plus minus craſſitie gaudet, atque in ſinum pudoris, qui vagina dicitur, prominet. Qua parte verò hanc ſpectat, hiatus ipſi

Os Uteri internum. inſculptus eſt, os ſeu oſculum uteri internum, quia oris inſtar aperitur & clauditur, Hippocrati στόμα τῶν ὑστερέων, Ruffo ὁ πρῶτος πόρος dictum. Perexiguum eſt, & latiuſculum in virginibus, & fæminis, quæ prolem enixæ non ſunt. Tranſverſum pariter & oblongum, anguſtum tamen & in circuitu craſſiſſimum, nec non exquiſitiſſimi ſenſus obſervatur; quo fortè ſenſu Prov. 30. 16. inexplebile appellatur. Ubi verò in partu dehiſcit, aut poſt eundem nondum ad priſtinos plus minus limites rediit, molle magis atque rotundum evadit, unde forte obſtetrices in Gallia illud Coronam, *le Couronnement de la mere*, Germanæ verò Roſam, die Rooſe appellitant, vel etiam ideò, quia roſæ inſtar ſeſe aperit & explicat, undè loquendi formula, der Mutter-Mund thut ſich auff / id quod certiſſimum inſtantis partus ſignum eſt conf. Blaſii *not. ad Vesling.* Aliàs ferè ſemper connivet, quo in ſtatu os tincæ piſcis figura ſua refert, aut, uti mavult Galenus, glandem virilem, ſi nimirum totus oſculi ambitus, quatenus in vaginam hiat, conſideratur, ad cujus etiam ſubſtantiam aliquo modo accedit. In virginibus æquè ac iis, quæ utero gerunt, utplurimum adeò conſtringitur, ut (quemadmodum Regn. de Graaf loquitur) tenuem ſtylum ſolummodo admittat, neque ullo conatu vel minimus digitus intrudi poſſit, in quibus ori catulino vel lucii piſcis non abſimile eſt. Nonnunquam adeò anguſtum reperit Ruyſch. *Theſ. Anat. VI. no.* 85. ut ne caput quidem aciculæ minoris admiſerit. Præterea in gravidis materia quadam mucoſa & viſcoſa, quæ ſmegmati ſimilis eſt, obſeſſum conſpicitur, qua ita obturatur, ut nullus aër, aliudve corpus ſeſe inſinuare poſſit, uti præter avtopſiam omnes harum partium Indagatores docent vid. Barth. *l.* 1. *Anat. c.* 29. Plazzon. *de part. genit. l.* 2. *c.* 7.

Harv.

Harv. de gen. anim. ex. 65. In ſtatu præternaturali nonnunquam, licet rarò omnino clauſum eſt hoc oſculum, ita ut fœtui, ſi quis adeſt, lochiis, &, ut ex quorundam opinione loquamur, ſanguini menſtruo aditus omnino præcludatur; de quibus vide Ephem. Germ. *Dec. II. Ann. 7. Obſ. 20.* & *Ann. 5. Obſ. 67.* unde gravia ſymptomata oriri poſſe notat Mœbius *Med. Phyſ. c. 20.* Quod verò hoc orificium intus tuberculo quodam oblongo & quaſi valvula munitum ſit, uti Riolanus *Anthrop. l. 2. c. 34.* putat, atque obſervatione quadam in nobiliſſima muliere Baroniſſa Darvault facta comprobat, avtopſia nondum plenè conſentire videtur. Connivet itaque hoc orificium, uti ſupra jam innuimus, neque multum aperitur, niſi in amplexu Venereo, & præcipuè, ubi mulier concipit, ſicque ſemen recipit uterus; uti idipſum eleganti figura docet Ruyſch. *Anat. VI. Tab. V.* in utero mulieris à paucis horis gravidæ, & in adulterio à marito deprehenſæ, pauloque poſt ab illo occiſæ; vel etiam inſtante partu, in quo ad miraculum uſque dilatatur, & quidem adeò, ut fœtui ſatis interdum grandi exitum præbeat; vel denique ut poſt illud lochia effluere poſſint. Facta immani hac dilatatione ad anguſtos rurſus limites redigitur, ita tamen ut nunquam ad priores atque priſtinos redeat, & per inſigne temporis ſpatium multum hiet: Quemadmodum idipſum nuper in infanticida duobus poſt partum menſibus cultro anatomico ſubjecta in theatro noſtro vidimus; facile namque tres, imò quatuor digiti huic oſculo ingerebantur. Quod verò, uti Adr. Spigelius *Fabr. corp. hum. l. 8. c. 23.* confidenter ſcribit, os uteri interius gravidis hiet, tantoque magis, quantò ſunt partui viciniores, noſtro confirmare calculo vix poſſumus. Supereſſet adhuc quæſtio, an nimirùm ſanguis menſtruus ex utero per hoc oſculum quoque foras erumpat, quam tamen inferius examinaturi ſicco nunc pede tranſimus; uti etiam inhærere non volumus quæſtioni à Regn. de Graaf l. c. motæ, num nimirum adeò dilatetur in coitu hoc orificium uteri, ut glandem penis facile admittat, ſed potiùs ab ipſius partibus ſtantes, negando illam decidimus.

Theſis IX.

Cavitas ſeu capacitas.

Quid de cellulis ſentiendum.

Uteri oſculum nos deducit in ejus cavitatem, hanc aliqui in ſeptem cellulas diſtinxerunt, quales in animalibus brutis occurrunt, de quibus prolixe vid. Ephem. Germ. *Dec. I. Ann. 15. Obſ. 67.* in hiſce à Junonicolis genituram Lucinæ ſacrificari perhibent, inſuper ſingulas certis hoſpitibus habitandas dederunt; tres enim in dextro uteri ambulacro maſculis, totidemque in ſiniſtro fœmellis aſſignarunt, Hermaphroditis medium occupantibus locum, in quo ſoli ſtabularentur. Præ cæteris Mundinus *cap. de Anat. Matric.* concavitatem uteri in ejuſmodi diſtribuit cellulas, quas tamen nil niſi concavitates in matrice eſſe faſſus eſt, undè à Commentatore Carpo carpitur, non ſecùs ac Bonaciolus, *quippè qui Ennead. muliebr. c. 1. in ſinu quolibet exiguos tres ſcrobes, in medio unum, rugoſitatibus duntaxat quibuſdam interſtinctos, comparere dixit; ſed & unamquamq; inſuper foſſulam decem rugoſitates obtinere, inde ſeptuaginta conſurgere puerperia, totidemq; ſimul concipi poſſe, pleroſq; autumaſſe enunciavit; ſiquidem tot tunc partus, in quot cellulas ſemen maſculinum ceciderit, ſequi crediderunt;* Quæ tamen aniles potiùs fabulas, quam Doctorum opiniones ſapiunt.

Unica cavitas utero tribuitur,

Siquidem nullis uterus humanus cellulis donatus eſt, ſed non niſi unicam habet cavitatem, eamque exiguam, adeò ut in virginibus & non gravidis fabam majuſculam aut amygdalam minuſculam vix capiat, eam fortè ob cauſam, ut in coitu à ſubtiliore ſeminis virilis parte tota repleri poſſit. Poſtquam vero concepit mulier una cum fœtu & utero creſcit & extenditur. Sic etiam parva admodum eſt hæc cavitas in damis, cervis, canibus, aliiſque viviparis, utpotè in quibus uterus eſt veluti veſtibulum ſeu propylæum, in quo iter utrinque apertum dextrorſum & ſiniſtrorſum in cornua diducitur.

Cavitatis diviſio.

Nihilominùs ex mente plerorumque humanus etiam uterus dividitur in partem dextram atque ſiniſtram mediante ſutura leviter prominula, vel ſola linea in interiore tantum tunicæ parte deſignata, qualis etiam in ſcroto occurrit, quæ ab Ariſtotele mediana dicitur, & ab Andr. Veſalio *l. 5. c. 15.* eleganter deſcribitur, quo ſenſu δίκολπος, bis ſinuatus

nuatus dici poteſt. Hanc autem cavitatem ſepto quodam intermedio dividi rariſſimum eſt, cujus duo nobis exempla reliquit Riol. *l.2. Anthrop. c.31.* Quod verò pars dextra maribus & ſiniſtra fæminis ſolùm progignendis dicata ſint, uti nonnulli ſomniarunt, ſuprà jam refutavimus. Utrumque hoc diſtinctionis medium negat Regn. de Graaf *l.1.c.8.* quando, *nec ullo*, ait, *ſepto intermedio dividitur pars dextra à ſiniſtra, neq; etiam per lineam aliquam ſecundum longitudinem uteri excurrentem ſeparatur, niſi ſubſtantiam ejus ſecundum longitudinem diſſecando lineam illam efformaverint.* Mox ſubjungit magis concinnam hujus cavitatis diviſionem ratione conſtitutionis in illam quæ in collo, & illam quæ in utero conſpicitur; quæ & nobis arridet. Cæterum cavitas uteri æqualis & rotunda non eſt, ſed ſuperne verſus dextrum ſiniſtrumque latus extenditur; & in acutos quaſi angulos abit, adeò ut non ineptè repræſentet triangulum ſeu pyramidem inverſam, cuſpidi, quæ decurtata eſt, inſiſtentem; attamen angulus verſus collum longior eſt duobus reliquis, qui à Tubis Fallopianis exiguo foramine perforantur & magis acuti ſunt; hinc, quæ nonnullorum obſervatio eſt, ovula utplurimum illi cavitatis lateri agglutinantur, per quam tubam in uterum delapſa ſunt. Ita ut matrix eodem prorſus, quo veſica, modo tribus in locis perforetur, inferius unico duntaxat, ſuperius vero duobus foraminibus, per hæc ingrediuntur, per illud vero contenta ejus foras eliminantur. Peculiare eſt quod Soranus notat, in ſterilibus nimirum intra uteri cavitatem communiter duo amicula, variis utplurimum modis conduplicata reperiri, ſed invita, uti credimus, avtopſia. Jam quod attinet cavitatem cervicis uterinæ, parva admodum eſt, neque veluti uterus dilatatur, ſed tempore partus excepto, eundem ſemper ſtatum retinet; illam autem deſcribit Regn. de Graaf hunc in modum: *tota intùs rugoſa eſt & multis exiguis ductibus perforatur, ex quibus preſſâ colli ſubſtantiâ materia pituitoſa erumpit, in quem finem ignoramus, niſi forſan ad humectandum, & ad Venerem excitandam ibi humor ille à natura ordinatus fuerit.* Pari modo pluſquàm lynceis oculis præditus Anatomicus Frid.

Cavitas cervicis.

rugoſa.

Ruyſchius eandem variis lacunis minutiſſimis atque ſulcis inæqualem & exaſperatam, qui à pondere & preſſione uteri nonnihil in conſpectum veniunt, plus una vice vidit, adeò ut de hujus rei veritate dubitandum non ſit. vid. *Theſ. Anat. IV. num. 53. & 89. VI. num. 63 & 87.* & quamvis Graafium expertiſſimum aliàs Anatomicum ſalutet, qui in deſcribendis partibus generationi inſervientibus palmam aliis facilè præripiat, ipſi tamen, uti fatetur, non ſatisfecit in delineatione cavitatis internæ cervicis, & hanc ob cauſam etiam illam nova delineatione dilucidare conſultum duxit, quæ non minus accurata quam elegans eſt, & ab illo curioſis *Theſ. Anat. VI. Tab. 2. & 3.* exhibetur. Hanc autem aſperitatem eò inſervire vult Th. Barthol. *l. 1. Anat. c. 29.* ne ſeminis aura intra uteri cavitatem recepta facili negotio rurſus effluat, ſed diutiùs aſſervetur, undè etiam, ſi ob pravos humores lubrica nimis redditur hæc pars, ſterilitatis cauſam ex parte derivat. Conſtat itaque unanimi plerorumque Anatomicorum ſuffragio, hanc cervicis aſperitatem à rugis dependere, quæ ex obſervatione Sev. Pinæi *l. 1. de not. virgin.* radices habent infernè ſitas, aciem vero interne & ſuperne tendentem, ut ingreſſum facile, regreſſum difficile ferant. Undè verò hæ rugæ ortum ſuum trahant, non æquè conſtat. Deducit illas Joh. Bapt. Morgagnus, cujus ſingularis induſtria & eximius circa promovendam rem Anatomicam ardor laudandus utique eſt, in Adverſar. Anat. p. 11. à valvulis à ſe, uti perſuaſus eſt, primùm detectis, de quibus hunc in modum loquitur: *Uteri cervicem rugoſam atq; aſperam eſſe, apud Anatomicos pleroſq; omnes reperitur; illud vero non videor legiſſe, has rugas, hancq; aſperitatem fieri à valvulis non ſursùm, ſed deorsùm versùs ſpectantibus;* pergit idem, poſtquam Pinæum ejuſque de rugis ſententiam allegaverat, *ex Virgineis, aliiſquè potiſſimum integrioribus uteris, propria inſpectione ſic didici; præter quoſdam fibrarum faſciculos intra uteri cervicem ſecundum ejus longitudinem, quandoquè in medio, aliàs à lateribus exiſtente, jamquè Anatomicis ſatis notos, carnea nonnunquam & craſſæ fibræ, ſæpiùs verò plures firmæ valvulæ ex reduplicata cervicis interiore membrana productæ, tranſverſim*

Valvulis prædita.

vel

vel obliquè inter prædictos fibrarum faſciculos protenduntur ea ratione, uti loco ſuperiori undè naſcuntur, limbo altero firmè inhæreant, ſed alterum qui ſolutus eſt, deorsùm converſum habeant. Ob eamquè cauſam efficitur, ut admoto ipſis appreſſoque ſpecillo deorſum quidem minimo negotio aditum permittant, ſurſum verò ad actum omnino aſcendere prohibeant, contra atq; à Severino traditum eſt. Neque illas tantum exquiſitis verbis deſcribit, ſed etiam accurata figura depingi curavit *tr. cit. Tab.* 3. & quidem tanta in copia & magnitudine, ut vix cuiquam ullum de earum exiſtentia dubium ſupereſſe poſſit. Quem verò uſum habeant, & cur natura ſic uteri cervicem præſepſerit, an arcendi aëris, nocuique adeò frigoris cauſa, an vero etiam, ut ſeminis craſſiorem partem, quam ſubire uterum de multorum ſententia neceſſe non eſt, in hunc jaculari prohiberet, aliorum judicio cum laudato Morgagno relinquimus.

Quemnam uſum habeant?

Thesis X.

Glandulæ.

Utrum inſint?

Antequam uteri cavitatem relinquamus, mentio quoque nobis facienda eſt veſicularum ſeu glandularum, uti aliqui eas appellant, quæ à nonnullis in iſta obſervatæ ſunt, cum hoc tamen diſcrimine, ut alii in uteri, alii verò in cervicis cavitate illas viderint; porrò hi veſiculis, illi glandulis eaſdem magis ſimiles pronuncient. Inter quos allegari meretur Cl. Wedelius, qui *Phyſ. Med. Sect. III. c.* 28. talia habet: *Uterum copioſis gaudere glandulis, ipſoſquè adeò teſtes ſeu ovarium; unde obſervavi in juvenibus magis abundare & adeſſe veſiculas in eodem, in ſenioribus magis glandulas.* Integrum earum plexum è Caſp. Barthol. primùm detectas nobis exhibent *Act. Haffn. Vol. IV. Obſ.* 20. dum illum ita loquentem introducunt: *Eaſdem in utero muliebri inveni glandulas conglomeratas cum ſuis vaſis excretoriis elegantibus, quas in vacca deſcripſi. l. de diaphr. p.* 107. *Novum enim hoc eſt*, pergunt, *& à nemine Anatomicorum hactenus notatum, unde etiam plurima circa ſemen muliebre & ovarium illuſtrantur, quæ antea dubiorum cauſæ fuerunt.* Pari modo illas, licet omnium oculis ſeſe nondum exhibuerint, in utero humano quoque adeſſe ſuſpicatur Sommer Ephem. Germ. *Dec. I.*

 Ann.

Ann. I. *Obſ.* 41. idque ob analogiam à quibuſdam animalibus brutis, præcipuè ruminantibus, deſumtam, in quibus uteri ſubſtantiam glanduloſam demonſtravit Cl. Needham *de form. fœt. c.* 2. cum quibus concordant obſervata Dn. Morgagni in *Adverſ. Anat. p.* 36. ubi de fontibus cujuſdam muci ad cervicem uteri occurrentis agit; ubi primo loco proponit ſententiam eorum, qui mucum hunc pituitoſum & viſcidum vel è tubis Fallopianis, vel è plexu glanduloſo in vagina infra orificium internum conſpicuo deſtillare contendunt, quorum claſſi annumerandus eſt Harderus *Apiar. Obſ.* 58. & Valentinus *Epiſt. de nov. matr. & morb. mul. Anat.* poſtea ab adverſa parte ſtantium opinionem recenſet, qui in ipſa uteri cervice eundem ſcaturire volunt, quorum catalogo adſcribit Bergerum *Phyſ. Med. l.* 2. *c.* 1. Hornium *Prodr.* & præcipuè Noueſium *Zodiac. Med. Gall.* 1681. *menſ. Febr.* qui in uteri orificio parva quædam peculiaris ſeminis conceptacula demonſtravit, quod è ſubrotundis tuberculis expreſſionis vi per foraminula quædam prorumpit. Quibus examinatis, adhibita etiam avtopſia horum in caſtra tranſit Mortagnus, id quod his verbis teſtatur. *Diſſecanti mihi ad hunc modum obſervatum eſt, qui ſuccus in ſuprema cervicis parte eſt, reliquoq; utero, quiq; eſt in tubis Fallopianis, mihi ſatis diſſimilis eſſe videtur illi, qui in vagina occurrit; ut illius propterea ſcaturiginem & fontes in ipſa cervice, oſculoq; uteri quærendos credam; quos dum aſſiduè perquiro, ecce quaſdam veſiculas animadverto varia magnitudine, omnes verò ſubrotundas aut ovales, internam propè totam cervicis faciem confertis agminibus obtinentes.* Quarum deſcriptionem ulterius proſequitur, & paulò poſt ſubjungit: *Ego ſanè ab eo non multum abſum, ut eſſe glandulas concipiam, unde is lentus & glutinoſus mucus deſtillet.* Eaſdem quoque humore limpidiſſimo repletas vidit Dn. Littre, in muliere per octo menſes utero gerente, & caſu ab alto mortua, uti teſtantur, *Mem. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1701. *p.m.* 383. *Obſ.* 7. Præter hos alii quoque mentionem faciunt ejuſmodi veſicularum, nempe Ortlobius & Regn. de Graaf l. c. quas vero pro hydatidibus habent, quales in teſticulis ſæpè etiam reperiuntur, quæque non rarò Anatomicos

ſub

ſub ſpecie ovorum fefellerunt. In totum vero negant has glandulas Cl. Ruyſchius *Theſ. Anat. V. num.* 41. & D. Mery *Hiſt. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1706. *p.* 27. Neque hoc ſilentio prætereundum eſt, quod nonnulli, pauci licet, illas ipſas pro ovulis, iſtis in ovario ſubſtantia & uſu reſpondentibus, venditent. De hiſce autem veſiculis, utrum nimirum hydatides ſint, an glandulæ, aut ovula; noſtrum ſuſpendimus judicium, deciſionem hujus rei ulteriori examini reſervantes.

Thesis XI.

Quibus conſideratis ad alias hujus miraculi qualitates enumerandas progredimur, & quidem ad magnitudinem, quæ mirum in modum *variat pro ſubjecti ætate, temperamento, libidinis uſu, corporis proceritate, fœtura aut ſterilitate*, verba ſunt Regn. de Graaf l. c. neque proinde uteri magis, quam ventriculi magnitudo aptè definiri poteſt; quæ pro majore vel minore eſculentorum potulentorumve ingeſtione modò mediocris, modò verò enormis conſpicitur. Conſiſtit autem magnitudo vel in longitudine, vel latitudine vel denique craſſitie, quam ultimam tamen, ubi de viſceris hujus ſubſtantia agemus, examinabimus. Longitudinem uteri non imprægnati magis ordinariam uſque ad cervicem determinat conſentiente avtopſia Cl. Verheyen *l. 1. tr. 2. c.* 23. quod ſit trium circiter digitorum tranſverſorum, latitudinem, quod ſit duorum cum ſemiſſe, craſſitiem denique, quod duos digitos non exæquet. Ut autem de utero, quomodo ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ deprehenditur, nullo reſpectu menſuræ tam exactæ habito, loquamur, in puellis nuper natis minimus eſt, paulò major in illis, quæ impuberes adhuc ſunt, ita tamen ut fabam majuſculam magnitudine vix ſuperet; exanguis præterea eſt & albus, vaſiſque quaſi deſtitutus. Creſcit poſtea cum toto corpore & extenditur, præcipuè ubi pubeſcere atque lunare tributum ſolvere incipiunt, ſeu, ut verbo dicam, habiles fiunt ad concipiendum; una cum mammis quoque turgeſcit, laxatur, & carnoſior evadit, nucem juglandem tamen vix excedit; in iis namque, quæ ſteriles ſunt vix augetur,

Magnitudo.

tur & ferè ſimilis permanet. E contra verò in iſtis, quæ fœcundæ ſunt, & præprimis, ~~quæ~~ Veneri ſtrenuè litant, ſemper majora ſui incrementa capit. Sic etiam major eſt in iis, quæ ſemel aut ſæpiùs pepererunt, quia ad priores nunquam limites redigitur uterus. In decreſcente verò ætate & in vetulis decreſcit etiam hæc pars tàm mole quàm vigore, & quemadmodum reliquæ omnes flaccidæ redduntur & inertes, ita & hæc exſiccatur & ſubſidet, retractuſque, durior, minor & pallidior evadit. In quantam denique molem excreſcat in iſtis, quæ conceperunt, notum eſt, illo namque in ſtatu omnem in dimenſionem augetur, quæ tamen rurſus pro diverſa fœtuum magnitudine & numero variat, ita ut non raro in inſignem extendatur, ubi embryo grandis eſt, & in ſtupendam, ubi mater gemellos gerit; moles enim uteri ſemper debet eſſe proportionata magnitudini incolæ. Sic Hildanus meminit mulieris, quæ una vice novem, altera duodecim fœtus edidit, & ad genua uſque propendentem habuit uterum, quem in faſciis collo & humeris appenſis geſtare coacta fuit. Id autem fit ultimis geſtationis menſibus; nam primo menſe, aut ſtatim poſt conceptionem vix notabile eſt hoc augmentum, id quod Galenus *l.* 14. *de uſu part. c.* 4. docet, *dum incipiunt*, inquiens, *fæminæ uterum geſtare*, *mammæ cum utero ſunt exiguæ*, *ubi verò pariendi tempus pedetentim accedit*, *ſimul cum matricibus mammæ ad juſtam uſq; magnitudinem intumeſcunt.* Idem confirmat Hollerius *comm. ad Aph.* 51. *l.* 5. dum ait: *Si mulieres quæ recenter conceperunt, ſecueris, non invenies uterum nuce majorem*; quamvis ratio, quam addit, infirmo ſtet talo, *quia uterus circa ſemen retentum conglobatur & conſtringitur.* Tandem ubi uterus toto geſtationis tempore ſenſim ſenſimque inſignem in molem excrevit, uno quaſi momento multum collabitur, id quod ſtatim poſt partum fieri ſolet, poſtquam nimirum incolam, qui non ultima incrementi hujus cauſa fuerat, exterminavit; Admiratu ſanè digna eſt ſubitanea hæc uteri ſubſidentia, quæ primis poſt partum momentis maxima eſt, minor in ſubſequentibus; nihilominus & hæc mirum in modum variat, in aliis namque citius, in aliis tardiùs priſtinos

Uteri poſt partum ſubſidentia.

ferè

fere ad limites redit. Quod ſi verò de eo, quod ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ contingit, ſermo nobis eſt, id ipſum fieri ſolet decimo ſexto plus minus die, ſeu, ut rectius loquamur, intra decimum ſextum & vigeſimum diem, præſertim ubi lochia ſtrenuè fluunt, & ſanguis è fungoſa uteri ſubſtantia velut è ſpongia rurſus exprimitur. Id quod confirmat Regn. de Graaf l. c. & Fabricius ita exclamans: *profectò admirabile eſt, & humanum ingenium planè ſuperat, tantam Uteri molem tam brevi tempore quindecim nimirum aut viginti dierum ſpatio tantopere detumeſcere.* Peculiare namque eſt, quod Riolanus *Anthrop. l. 6. c. 1.* refert, ſe diſſecuiſſe Nobilem Matronam, quæ viginti quatuor poſt partum horis è vivis deceſſerat, inque ea uterum fere ad naturalem magnitudinem contractum reperiſſe; Neque ordinarium illud Diemerbrœckii, uteri ſubſtantiam aliis ſex ſeptemve, aliis quatuordecim dierum ſpatio priſtinam ad duritiem redire pronunciantis; neque illud Henr. à Deventer, qui uterum puerperæ octavo vel nono poſt partum die tam exiguum & naturaliter conſtitutum mirabundus deprehendit, ac ſi puerpera non fuiſſet. Per octo enim à partu dies, annotante Platero, ſubſtantia fermè eadem manet, & cavitas tantum collabitur, poſtea paulatim illa quoque ſenſibiliter minuitur. Id quod etiam Uterus, hanc potiſſimum ob partem infelicis infanticidæ ſuperiori anno teſtatus eſt; hic enim inſigni ſatis poſt editum infantem tempore cultro Anatomico ſubjectus nondum contractus & ad priores anguſtias redactus fuerat. Quod ſi verò cuipiam volupe eſt uteri molem ad bilancem examinare, adeat Regn. de Graaf l. c. qui in recens natis notavit eundem aliquando ʒj. aliquando ʒiß. pependiſſe, in vetulis verò & virginibus jam pubeſcentibus ejuſdem ferè magnitudinis eſt, & ut plurimum ab ℥j. ad ℥iß. ponderat; denique in validioribus, & iis, quæ ſæpius pepererunt, aut frequentius Veneri indulgent, major evadit, rarius tamen ℥ij. excedit. In ſtatu verò præternaturali uterum XL libras (quod fidem fere ſuperat) ponderaſſe obſervavit idem Graaſius, cujus hiſtoriam ad calcem c. 8. annexuit, & ob eximiam raritatem Ephem. Germ. quoque inſeruit *Dec. I. Ann. 1. Obſ. 128.* Uteri pondus.

D Alias

Alias vel ab aquis, vel à flatibus, vel ab aliis cauſis multum quoque extenditur hoc viſcus, uti variæ hac de re obſervationes hinc inde proſtant. Ne autem cui dubium moveat id, quod ſupra de mole uteri creſcente diximus in illis, quæ lunare tributum ſolvere incipiunt, melioris illuſtrationis gratia hic addimus, quod, poſito etiam, quod inferiùs decidemus, ſanguinem menſtruum non ex utero fluere, ſed ex vagina, fluit tamen illo tempore ad uterum majore in copia quia vaſa vaginæ & uteri inferiora ab iiſdem ramis propullulant. De uteri extenſione duo adhuc notanda ſunt, quorum primum eſt, quod in fundo maxima & magis ſenſibilis illa ſit, quam in ulla alia parte inferiore (nam collo ſuo aliis partibus arcte alligatur, ita ut eouſque dilatari non poſſit) adeò ut ſuprà laudatus Henr. à Deventer aſſerere auſit, eum modo ante partum in fundo ſexta, octava vel duodecupla (ne dicam decima ſexta vel viceſima) parte extenſionem reliqui corporis ſuperare. Quo fit ut longitudo pariter ac magnitudo fundi ſupra ligamenta multum differat in utero paulo ante partum, ab illo poſt eundem inſpecto, id quod ex figura ejus 4. egregie patet. Quæ obſervatio uti apud alios, quantum quidem ſcimus, vix occurrit, ita eximium in praxi uſum habet. Secundum vero, quod hæc uteri dilatatio nonnunquam tanta ſit, ut diſrumpatur, idque potiſſimum in arduis partus laboribus, quam Cl. Veslingius his verbis declarat: *Non infrequenter contingit, ut in anguſtiore utero, creſcente amplo fœtu, aut cum eo mola pariter ſuccreſcente, per ingentes in partu labores, tunc craſſa quidem, ſed & mollis uteri ſubſtantia, cum membranis ſuis alicubi rumpatur, fœtu nunc caput, nunc pedes manuſve, qua data via eſt, in abdomen exerente; nunc toto corpore maternis inteſtinis incumbente, cui alius, præterquam abdominis diſſectione, exitus haud patet.* Cujus rei aliàs non multum obviæ ſimilia hinc inde exempla proſtant in *Ephem. Germ. D. I. A. II. Obſ.* 254. & *D. II. A. VII. Obſ.* 10. Salmuth. *Cent. I. Obſ.* 10. & Dolæi *Enclyc. Chir. l.* 4. *c.* 4.

THESIS

Theſis XII.

Quemadmodum vero in omnibus uteri partibus Divina effulget Sapientia, ita illa ipſa quam maxime elucet ex admiranda ipſius textura, miraque in gravidis mutatione, de qua nonnulla quoque annotabimus. Inter rariora autem recenſeri meretur, quod ſubdura interdum & quodammodo cartilaginea deprehenſa fuit ejus ſubſtantia, qualem refert Cl. Harderus *Apiar. Obſ.* 51. & Cnöffelius *Ephem. Germ. D. I. A. IV. & V. Obſ.* 57. cujus verba digna ſunt, quæ recitentur: *Proceſſimus*, ait, *ad uterum, qui cum magna admiratione primo totus lapidoſus à nobis putabatur, quantitate quidem parvus, ſed nimis durus. Tandem vi diſſectus, totus uterus cum orificio interiori erat cartilagineus, relicta cavitate interna ad amplitudinem nucis juglandis.* Aliàs uteri compages in mulieribus adeò obſcura eſt, quemadmodum oculatiſſimus Malpighius fatetur, ut penè impoſſibilem ſui indicet reſolutionem. Nihilominus Anatomiæ ſcriptores eandem nobis aliquo modo declarant, dum alii fibroſam & muſculoſam, uti Cl. Bergerus, alii membranaceam & aliquatenus carnoſam, uti Cl. Verheyen, alii vero membranoſam & fungoſam ſeu ſpongioſam, uti Mœbius, alii denique nerveam aut carnoſo-nerveam, uti Drelincurtius illam pronunciarunt. Galenus, Veſalius & Arantius una cum aſſeclis ſuis uterum ex meris membranis ſibi invicem intertextis conſtructum eſſe voluerunt, quæ lege naturæ ad fœtus incrementum explicentur. Hos ſequuntur è Recentioribus omnes illi, iique non pauci, qui tres utero tunicas aſſignant, extimam nimirum, intimam, & tertiam hiſce interjectam. Quæ cum ſtricte loquendo membrana dici non poſſit, eam ob cauſam, quia propriam uteri ſubſtantiam, quæ membranoſa non eſt veluti illa ventriculi, veſicæ urinariæ pariter ac felleæ, conſtituit, malumus ſtare à partibus Cl. Veſlingii & Diemerbrœckii, nonniſi duas proprie matrici membranas tribuentium, & intermedium contextum carnoſum, quem ex illarum albo exulare volunt. Prima itaque & exterior communis dicitur, peritonæo, à quo omnia in univerſum viſcera abdominis extimam tunicam mutuantur, origi-

Subſtantia.

Cartilaginea.

Ex quibus partibus conſtet examinatur.

In duas membranas dividitur.

Prima communis fibroſa eſt

originem ſuam debens, ſed craſſior reliquis à dicto peritonæo enatis, validaque & fibroſa; lubrica etiam eſt atque lævis, niſi qua ſede vaſa ſanguinea ſeſe inſinuant, aut ligamenta foras erumpunt. Riolanus, aliique geminam illam conſtituunt majoris roboris gratia, quo opus eſt in dilatatione, atque alteram à peritonæo, alteram vero à vaſorum tunicis derivant. Sed membranam, quæ proprie unica eſt, in plures lamellas dividere in Anatomicorum ſcholis familiare ſatis eſt, utrum vero illud majore cum utilitate, an curioſitate fiat, aliis judicandum relinquimus. De illa autem præcipuè notandum eſt, quod rugoſa valde & innumeris plicis æque ac interior donata ſit, eum in finem, ut cum propria uteri imprægnati ſubſtantia facile ſine ullo ruptionis periculo dilatari poſſit. Id quod etiam videmus in ventriculi, veſicæ urinariæ, aliorumque viſcerum tunicis, quæ certo tempore multum extendi ſolent. Hæc membrana uterum veſicæ, inteſtino recto, nonnulliſque aliis partibus vicinis firmiter annectit, nec non externam ejus faciem undique & undique inveſtit. Sequitur altera, eaque interior à multis tertia, propria uteri, aut nervoſa appellata; eſt autem tenuis, in fundo lævis, ut blande foveat & molliter amplexetur ovulum; in collo vero quam maxime rugoſa, fibroſa etiam, & Veslingio poroſa dicta, ſine dubio quia innumeris pervia foraminulis eſt ceu vaſorum oſculis, quæ Marc. Malpighius *Exerc. de uter.* ea, qua illa in ovibus obſervavit, ratione deſcribit: *Uterus interius membrana quadam ambitur, quæ minima & innumera habet orificia, glutinoſum mucoſumq; fundentia humorem, quo uterus ipſe & vagina perpetuo madent*; qui humor è veſiculis ſeu glandulis, de quibus ſupra Theſ. 10. egimus, extillat. Hi porro meatus exigui circa illam fundi partem, quæ inteſtino recto ſuperimpoſita eſt, majore in copia occurrunt, hinc ſanguinem menſtruum ex illis depluere, Spigelius ſuſpicatur. Diſſeminantur per hanc tunicam myriades vaſorum, quæ Ruyſch. Theſ. Anat. II. p. 56. vermicularia vocat, ideo quod vermium inſtar eam perreptant, quæque in utero ovillo oculis curioſorum exhibet. Idem denique tanquam peculiare quoddam annotat, quod hæc tunica eo in

Innumeris rugis & plicis donata, uti interior.

Secunda nervoſa.

loco,

loco, quo placenta utero ſeſe applicat, in tumorem paululum attollitur, quemadmodum in brutorum matricibus plures tales protuberantias deprehendimus: item quod primis à conceptione diebus facies ejus villoſa ſit & inæqualis. Communicat eadem cum interiore vaginæ & tubarum tunicis, atq; interiores uteri parietes efformat, nec non ſtabiliendis mediæ ſubſtantiæ fibris & ſenſationi procurandæ inſervire videtur. Duas haſce membranas intercedit media ſic dicta, craſſa, veluti ſpongioſa & fungoſa ſubſtantia variis fibris interpoſitis ſtipata, hincque muſculoſa à multis, ab aliis contextus carnoſus vocata, quas eum in finem habet, ut ſeſe contrahere & præſertim tempore partus fœtum aliaque expellere valeat, tota inſuper textura majus inde robur nanciſcatur; quemadmodum ſpongioſam ideo ſubſtantiam obtinuit, ut veluti ſpongia inſignem ſanguinis copiam imbibere, ſicque eximiam in molem extendi poſſit. Gaudet autem triplicis generis fibris, rectis nimirum, tranſverſis & obliquis, quarum Plazzonus l.c. c.7. & Cl. Berger. *de nat. human.* l.2. c.1. mentionem faciunt; mediantibus hiſce omnem in ſenſum extenditur & contrahitur. Sæpius jam allegatus Henr. à Deventer l.c. c.4. hanc uteri fabricam eleganter deſcribit his verbis: *Compoſitus eſt* (uterus) *ex innumerabili multitudine fibratorum vaſculorum, venis ſcilicet, arteriis, nervulis, vaſculiſq; lymphaticis, interpoſitis particulis muſculoſis, quæ omnia ſcite contexta, commixta & coadunata iſthoc mirabile corpus conſtituunt.* Marc. Malpighius vero fibrarum ſtructuram paulo accuratius depicturus: *exterius*, ait, *fibræ carneæ in faſciculos coagmentatæ & reticulariter implicitæ uteri ſtructuram componunt, ita ut interior etiam ipſius moles ſit lacertorum congeries, & complexus. Inter exaratas*, pergit, *fibras carneas, copioſæ extenduntur pelliculæ, ſeu molles tunicæ, ſupra quas ampli ſinus fere innumeri, vaſorum inſtar in longum excurrunt &c.* Quam carnoſam uteri ſubſtantiam quoque Diemerbrœck in cadavere puerperæ decem, & D. Mery in alius quatuor poſt partum horis mortuæ demonſtravit. vid. Hiſt. Acad. Reg. Scient. 1706. p. 27. & nos pariter anno ſuperiori in infanticida ex parte adhuc vidimus.

Contextus ſpongioſus & fungoſus

ex triplici fibrarum ſerie intertextus.

Deſcriptio uteri Dn. Deventer.

Malpighii.

Thesis XIII.

Uteri craſſities.

Virginibus denſior eſt quam gravidis.

Uterus prægnantium uti in genere differt ab illo, qui actu non continet vel nunquam aluit fœtum, ita idipſum potiſſimum verum eſt de ejus ſubſtantia & craſſitie. In virginibus namque albicans magis eſt, compactus atque nerveus, ſubſtantia denſa & ſolidiſſima inſtructus, cum è contrario in gravidis & creſcente fœtu ſenſim ſpongioſus, laxior, atque mollior evadat, id quod in cauſa eſt, ut in hoc omnia melius atque diſtinctius quam in illo conſpectui ſeſe ſiſtant. Sed craſſior ſimul redditur, & multum intumeſcit, eoque magis, quo ſæpius mulier concepit, uti etiam in iis, in quibus menſes vel imminent, vel actu fluunt. Craſſiſſimus vero eſt circa orificium internum, quod anguſtum admodum conſpicitur. Sic Malpighius in ſectionibus mulierum vel à partu, vel circa ſeptimum gravidationis menſem defunctarum matricem craſſitie digiti latitudinem, & Isbr. Diemerbrœck poſtremis geſtationis menſibus pollicis, & nonnunquam duorum digitorum craſſitiem adæquare deprehenderunt, id quod Sylvius & Riolanus in muliere termino partus proxima ſuo quoque calculo confirmant; Ut & D. Mery, qui Hiſt. Acad. Reg. Scient. An. 1707. p. 27. teſtatur, ſe in puerpera quatuor poſt partum horis mortua uterum octo linearum craſſitie præditum vidiſſe. conf. Ruyſch. Theſ. Anat. VI. Tab. 4. fig. 1. Servat itaque uterus eandem craſſitiem, imo majorem acquirit in gravidis, ſed non ſervat eandem ſoliditatem. Quod vero uterus, quem majorem ſenſim in molem, & non raro in ſtupendam excreſcere ſupra jam diximus, hoc ipſo non attenuetur, ſed potius magis craſſeſcat, ſanæ rationi, & regulis Phyſicorum è diametro contrarium eſſe videtur. Siquidem ſecundum ordinarias naturæ leges corpora non in Macrocoſmo solùm, ſed etiam in Microcoſmo, de quo potiſſimum loquimur, reperiunda eò magis attenuari ſolent, quo magis præcipuè à corpore intus incluſo dilatantur. Sic e. gr. ventriculus & veſica urinaria, ubi vel ab eſculentis & potulentis nimia in copia ingeſtis, vel etiam à magna lotii quantitate nimium extenduntur, ad papyraceam, ut ita dicam, tenuitatem aliquan-

do accedunt. Et hinc etiam enata eſt quæſtio maximo cum animorum fervore in Anatomicorum ſcholis agitata, Utrum nimirum uterus, dum toto graviditatis tempore ab hoſpite intus incluſo & quotidie increſcente expanditur, majorem craſſitiem, an vero tenuitatem acquirat, magno ſcriptorum numero ab una, magno etiam ab altera parte ſtantibus? Inter illos, qui uterum attenuari contendunt, agmen facile ducit Fr. Mauriceau, dum *tr. des malad. des femm. groſſ. c. 4. de la matr.* hunc in modum loquitur: *Preſque tous les fameux Anatomiſtes, & une infinité d'autres Auteurs nous aſſeurent, que la matrice (par un miracle de la nature, qui eſt admirable par deſſus tous les autres) devient d'autant plus epaiſſe, qu'elle s'etend & ſe dilate, depuis le jour de la conception juſques au tems de l'accouchement: mais je m'etonne, que Dulaurens, Riolan & Bartholin, ces precieux flambeaux de l'anatomie, ayent eux-meſmes eu ſi peu de lumieres en cette occaſion, que de n'avoir pas reconnu une ſi grande fauſſeté, qu'il nous ont debité à l'exemple de pluſieurs autres, qui les ont precedé.* Et mox pergit: *Tous ceux qui pendront la peine d'examiner la choſe, comme j'ay fait, remarqueront aiſement le contraire: car il eſt tres certain, que plus la matrice ſe dilate dans la groſſeſſe, plus elle devient mince & deliée.* Id quod porro probatum it ex Galeno *de diſſect. vulv. c. 8. & l. 14. c. 14. de uſ. part.* aliiſque hujus ſententiæ Patronis, qui ibidem videri poterunt. Quorum in caſtra quoque tranſit præter Galenum & Veſalium Falcoburgius, perhibente Blaſ. *not. ad Vesling.* qui tenuiorem revera uterum fieri cenſet, ſæpiuſque ſe id obſervaſſe atteſtatur, ſed eum videri craſſiorem, quod hepar uterinum ei arctiſſime connaſcatur. Ab adverſa hujus opinionis parte militantium anteſignanus facile eſt Henr. à Deventer qui *nov. lum. art. obſtetr. c. 8.* poſtquam D. Mauriceau rationes æque ac analogias vel à veſica, vel à globo cereo, vel etiam ab animalium brutorum vulvis deſumtas refutaverat, ſummo cum fervore pro hac tanquam pro aris & focis pugnat, convictus multiplici & ſæpius repetita experientia non in defunctis ſolum, ſed & viventibus facta, quæ eandem in utero craſſitiem modo majorem modo paululum minorem vidit, & ſemper vidit,

Utrum graviditatis tempore craſſeſcat?

Attenuationem contendit Mauriceau & alii.

Quam tamen negat Deventer.

vidit, & nunquam, uti teſtatur, contrarium vidit. Idem facilitatem æque ac poſſibilitatem, ſi ita loqui licet, quam uterus, ut ſe extendat, habet, c. 9. multis probare laborat. Cui ſententiæ pariter addicti jam olim in Veterum ſcholis erant multi non infimi ſubſellii Viri, quorum catalogum nectit Barthol. Anat. l. 1. c. 28. Bohn. Cir. Anat. prog. 3. & Mœb. Phyſ. Med. c. 20. Phænomeni hujus adeo inſoliti rationem ex parte reddit Plazzon. l.c. c.7. l. 2. nempe quod uterus geſtationis tempore ideò augetur, quia major tunc alimenti copia ad illum amandatur, & quo majora fœtus incrementa capit, eo major quantitas affluit, quam uterus veluti ſpongia facilè imbibit, ſicque intumeſcit. Dum autem nos huic quoque opinioni favemus, nemo credat, nos probare velle, hanc partem tantundem craſſeſcere, quantum extenditur, hoc enim poſito craſſitiem enormem indueret, ſed ſolùm perſuaſum nobis eſt, illam craſſiorem potius quam tenuiorem evadere. Qua in re determinanda nobis placent Bohnii verba Circ. Anat. l. c. ita loquentis: *Quando craſſeſcere in gravidis dicitur uteri ſubſtantia, haud alio ſenſu hoc fit, quaſi hæc, quæ in non prægnante pollici tranſverſo craſſitie accedit, in geſtante ultra hunc tumeat. Quod ſi vero craſſities hæc cum circumferentia & amplitudine, qua uterus prægnantis ultimis menſibus gaudet, comparetur, illa revera mirum in modum aucta dici debet.* Sed conſiderationi huic non ulterius immorabimur, dicimus tantum, quod in hac uteri intumeſcentia Benigniſſimi Creatoris Sapientia adeò illuceſcat, ut iſtum mentis compotem non eſſe neceſſe ſit, qui venerabundus eandem non admiretur.

Thesis XIV.

Ligamenta uteri. Ligamenta, de quibus paulo inferius nos acturos eſſe ſupra Theſ. 6. polliciti ſumus, porro conſideranda veniunt, quorum quatuor conſentiente autopſia ab Anatomicis enumerantur, nempe duo ſuperiora & totidem inferiora. Illa etiam *Lata.* lata dicuntur, & nil aliud ſunt quam expanſiones membranaceæ, laxæ & molles (hinc in gravidis facile cedunt) fibris tamen carneis ſatis robuſtis intertextæ, unde Veſalius & Archangelus

eas pro muſculis, quamvis judicante Graafio, minus recte venditant. Has Aretæus ob figuræ ſimilitudinem veſpertilionum alis aſſimilat. Oriuntur autem potiſſimum à ſuperna uteri parte eo in loco, quo ovaria muliebria & tubæ Fallopianæ illi adnaſcuntur, & quidem à peritonæo illic reduplicato, uterumque meſenterio, oſſibus Ilii, ut nonnulli volunt, aliiſque partibus vicinis annectunt, imo etiam dicta ovaria tubaſque ſibi invicem alligant. Perreptant eadem vaſa copioſa à ſpermaticis propullulantia & ad matricis fundum properantia. Inferiorum duo quoque ſunt (quamvis Cl. Ruyſchius *Theſ. Anat. IV. n. 98.* ſed nonniſi ſemel, tria viderit) rotunda aut teretia appellata, utero propria, quæ longitudine plus minus ſpithamam æquant, & figura ſua lumbricos aliquo modo referunt. Oriuntur autem ordinarie à lateribus fundi uterini, ea ſede, qua tubæ ipſi Fallopianæ committuntur (nam in imprægnatis fundo non annexa ſed inferius locata eſſe videntur, quia uterus ſupra illa duplo vel triplo, ut ſupra jam diximus, major evadit) & prope exortum latiora, quo magis ab utero recedunt, eo magis anguſtantur, atque ubi peritonæum & muſculos abdominis perforarunt, oblique ad inguina deſcendunt, & poſtea ſparſis per eorum pinguedinem filamentis pluribus in formam pedis anſerini ſeſe expandentibus prope clitoridem evaneſcunt. Hinc quia hæc ligamenta, æque ac in Viris vaſa ſpermatica proceſſus peritonæi extra abdomen comitatur, ſequior etiam ſexus dilatato illo aut rupto herniis inguinalibus, quamvis rarius, obnoxius eſt. Falſum itaque eſt, illa ſupra pubis oſſa duos in ramos diſpeſci, horumque alterutrum per femoris muſculos & membranam uſque ad genu excurrere, uti Marchettis atque Spigelius ſibi imaginati ſunt, imo ad pedum inferiora exporrigi, veluti quidam ſomniavit. Quemadmodum etiam Spigelii, Cl. van Horne, Riolani, aliorumque aſſertio de eorum cavitate avtopſiæ contraria eſt, quamvis hic Encheirid. Anat. audacter pro more jactitet, ſe primum hanc cavitatem & novum uſum, de quo mox dicemus, deprehendiſſe. A qua cavitate varii porro errores promanarunt, nempe modo memoratorum Dn. de Marchettis & Adr. Rotunda.

 Spige-

Spigelii, quorum ille ſanguine, hic vero ſemine referta eadem ſtatuit; aliorumque, qui eo progreſſi ſunt, ut ſomniarint, illa non ſimplicis tantum ligamenti munere defungi, ſed vel ſemen muliebre vel varios humores excrementitios aut ad glandulas inguinales, aut ad partes genitales externas deponere. Quorſum etiam Veſalii & Fallopii opinio, externam & ſubrubram ejus partem pro muſculis cremaſteribus in ſequiore ſexu venditantium pertinet, quorum beneficio uterus ordinarie ſurſum deorſumque moveatur aut ſaltem firmetur. Quæ tamen omnia Regn. de Graaf l. c. c. 10. ſodidè refutat. Cavitatem autem horum ligamentorū fere nihil aliud eſſe præter minutiſſimas arteriolas, peculiari involucro donatas, ut extra abdomen eo ſecurius pergere poſſint, majori cum fundamento adſtruit Joh. Swammerdamm. *de uter. mul. fabr.* Componuntur potius hæ partes è duplici membrana, quarum interior omnis generis vaſis inſtructa eſt, & à Graafio Tab. VII. æque ac exterior oculis exhibetur. Præterea à Bartholino *in Act. Hafn. Vol. II. Obſ* 88. fibræ carnoſæ & motrices in illa annotantur. Uſus horum ligamentorum eſt, Uterum ſua in ſede detinere, & quidem ſuperiorum, ne ad inferiora prolabatur, quamvis, ſi dicendum quod res eſt, infirma nimis ſint hæc vincula, ita ut veroſimile vix videatur, illa deſcenſum uteri impedire poſſe. Fulciunt potius vaſa ejus ſuperiora, & teſtes muliebres æque ac tubas Fallopianas vel cum ſe invicem vel cum matrice committunt. Inferiora vero uterum partibus anterioribus infernisque laxe devinciunt, eumque rectum tenent, caventque præterea, ne in gravidis aut nimis ſuperiora verſus feratur, aut multum in hoc vel illud latus ille inclinet. Quibus Henr. à Deventer l. c. alium uſum addit, nimirum ut ligamenta in genere uterum poſt partum mediante contractione priſtinum in locum ſitumque reſtituant; porro alium Dionis *Anat. S. II. Demonſtr.* 4. cujus longam deductionem & explicationem ſilentio præterimus.

Uſus.

Theses XV.

Oberratio Uteri.

Quod ſi itaque uterus veluti furibundum quoddam animal ad quatuor catenas, uti Drelincurtius append. de utero

loqui-

loquitur, alligatur, non immerito quæritur, an hinc inde in corpore moveri & oberrare poſſit? Poſſemus quidem affirmantium ſententiam ad aniles ſtatim fabulas ablegare, niſi juniores etiam mulierculæ eam confirmarent, dicentes, ſe perſentiſcere, quod globi inſtar convolutus ad fauces aſcendat, quo ſenſu proprio & interiore adeo convictæ ſunt, ut ſuccenſeant illis, qui contrarium ipſis demonſtrare laborant. Sed ſexui fœminino, utpote qui facile decipitur, neque partium ſtructuram atque ſitum novit, condonandum id eſſet, niſi magni nominis Viri huic opinioni ſubſcriberent. Sic Plato olim in Timæo & Aretæus l. 2. Acut. c. II. uterum animal dixerunt in animali facultate locomotiva præditum; nec non antiquiſſimus artis noſtræ conditor Hippocrates in libris ſuis *de natura muliebri*, tum aliis *de morbis mulierum*, mentionem hujus oberrationis fecit, dum uteros ad hepar, præcordia, ad ſtomachum, ad caput converti atque pedes labi pronunciat. Inde tamen nondum concludi poſſet Ipſum intellexiſſe veram atque genuinam uteri oberrationem, ſed per decubitum ad partes, opinante Cæſalpino, aut conſenſum tantum aliquem uteri cum illis partibus intelligere voluiſſe, & re vera non ita abſurdus credi poſſet Hippocrates, ut in ipſum caput & pedes aſcendere & delabi uterum exiſtimarit, niſi alia loca nimis clara eſſent & tanquam pilas οἷον σφαίρας uteros in ventre diſcurrere ſcriberet; hinc ſi verum fateri volumus, negare non poſſumus, fuiſſe omnino Hippocrati perſuaſum, in inferiori ſaltem ventre illum quaqua verſum moveri. Aut ſtatuendum eſt, illum eſſe locutum ex opinione vulgi & fœminarum ita ſentientium, uti medici interdum facere ſolent, quod & Aretæo, Fernelio, Laurentio, Spigelio, qui perſuaſionibus muliercularum nimium tribuerunt, accidit, uti id ipſiſſima Fernelii verba *l. 6. Pathol. c. 16.* declarant; *ſe enim,* inquit, *ægrotarum mulierum, modo querimoniis, modo precibus adductum, hunc ſæpe tactu deprehendiſſe inſtar globi cujuſdam in ventriculum efferri, eumque graviter opprimere.* Ab horum partibus etiam ſtare Virum magni nominis Adr. Spigelium ex ipſius verbis patet, quæ ita ſe habent: *Quamvis dubi-*

tatum ſit à nonnullis de hac re noſtro ſeculo, quibus res viſa fuit riſu potius quam fide digna, merito tamen ridendi illi ipſi ſunt potius, ut qui neq; in Anatomicis, neq; in rerum natura quidquam experientiæ habeant. Re vera enim multiplicem loci mutationem non tantum in iis, quæ utero non gerunt, ſed & in ipſis gravidis ſæpe numero animadverti, ut vel propterea cenſeam non fruſtra Doctiſſimum Hippocratem in libris de mulierum morbis tam crebram hujus mutationis mentionem feciſſe: Nec Plato certe, quem divinum vulgo appellant, uterum fruſtra appellat animal vagabundum ac generandi avidum, quod paſſim per corpus oberrat, & meatus aëris intercludit. Quos denſo agmine ſequuntur Pinæus *Not. Virgin. l. 1. c. 9.* Plazzon. *partib. gener. l. 2. c. 7.* Dn. de Marchettis *Anat. c. 7.* Bartholin. *l. 1. c.* 28. aliique plures. Contra quos Galenus hac de re *l. 6. de loc. affect. c. 5.* elegantiſſime diſputans ad Anatomiam provocat, & qui uterum ita errare per corpus aſſerunt, ignorare ea, quæ per diſſectiones apparent, ſcribit, & aliquem quidem uteri levem motum concedit, non autem talem, qui ad ventriculum & fauces uſque pertingat. Cujus veſtigia premit Langius *l. 1. Ep. medic.* 25. Riolanus *Enchirid. Anat. l. 2. c* 38. Diemerbrœck. *Anat. l. 1. c.* 24. qui multis rationibus ſtabilit, uterum per corpus hinc inde diſcurrere non poſſe. Williſius item *de mot. convulſiv. c.* 10. Præ aliis vero id facit Pechlinus *l. 1. obſ.* 20. ubi ait: *De utero muliercularum fabula eſt, eum locum ſuum mutare, deſcendere, aſcendere, inflecti in latus modo ſiniſtrum, nunc dextrum, nunc flatulento ſpiritu turgidum palpitare, viviq; animalis præbere ſpeciem, nunc ab aquis propelli in alias atq; alias partes.* Et inprimis Regn. de Graaf. l. c. c. 10. qui ſimul explicat, ſymptomata huic uteri oberrationi adſcripta à flatibus (vel à vaporibus etiam) dependere. Quod ſi totam hanc rem æqua lance examinamus, atque αὐτοψίαm quoque Anatomicam conſulimus, non omnem quidem utero motum ad latera denegari poſſe certum eſt, laxa enim ſunt ipſius ligamenta & facile obſequuntur ceduntque; interim

non datur tamen concipi non poteſt, qua ratione hæc pars ruptis vinculis, inteſtinis, item pulmonibus & corde ad latera propulſis, imo diaphragmate perforato & fractis ſuperna parte thoracis munimentis ad fauces ruere poſſit. conf. Roſin. Lentilii *Miſc. Med.*

Pract.

Pract. l. 3. p. 286. Hinc nonnulli media quaſi via incedere conati uterum ad fauces aut diaphragma aſcendere negant quidem, interim tamen non omnem illi motum denegant, ad quos referri meretur Henr. à Deventer qui uterum, in gravidis præſertim, non raro ad latus declinare & nutare contendit, imo aſſerere non dubitat, quod data una gravidarum uterum ſuper pelvim rectum geſtante, decem viciſſim inveniantur, quibus hoc vel illo modo plus minus ſit obliquatus. Et Frid. Ruyſchius, qui pari modo matricem non in partu ſolum, ſed etiam poſt eundem ſummopere moveri, nec non ad hoc vel illud latus retrahi vel torqueri confirmat. Obſ. Anatom. Chir. 88. & 93. Quorum ſententiæ & nos ſubſcribimus.

Licet aliquo modo moveatur.

Thesis XVI.

Compoſita hac lite, atque utero ad quietem redacto nova ſeſe offert difficultas de ejus in ſinum pudoris prolapſu. Circa quem in diverſiſſimas rurſus ſententias abeunt Scriptores, aliis eundem prorſus negantibus, vel ſaltem rariſſime contingere ſtatuentibus, aliis è contrario iſtum omni conatu aſſerentibus. Illorum anteſignanus eſt Theodor. Kerkringius, qui, ut Diemerbrœckii ore loquamur, ſuper ea re *Obſ. Anat. 20.* phalerato ſarcaſmo nimis ſalſe invehitur in Andr. Laurentium & Bartholinum, quaſi illi hac de re admodum malè judicaſſent, dicitque laxitatem quandam colli, quæ extra pudendum prominet, hæc ludibria facere. Cui opinioni quoque ſubſcribit Valentini *in epiſt. de nov. matr. anat. p. 16.* & Car. Muſitanus, *tr. de tumor. c. 66.* credéns illos, qui hunc prolapſum ſtatuunt oculos glaucomate obfuſcatos habuiſſe, hincque non mirum eſſe, ſi quid pro quo, vel pro cete cancrum aſpexerint; aſpexerunt namque aliquid rugoſi & membranacei ab interiore colli uterini parte verſus pudendum propendere, quod vana ſpe deluſi pro utero acceperunt, & adhuc habent. Pergit idem; jactabundi authores uteros prolapſos ſe reſtituiſſe gloriantur. Putarunt per relaxationem aut ruptionem uterum è ſua ſede inverti, non aliter ac tibiale invertitur. Ammannus item *Paraneſ. p. 144.* Ephem.

Prolapſus.

De eo diverſæ opiniones.

 Gallor.

Gallor. Ann. 1684. Quibus aſſentitur Cl. van Horne *Microtechn. ſ. 2. p. 1. §. 28.* cujus verba huc apponi merentur; *Circa uteri*, inquit ille, *procidentiam hoc monendum habeo, vix ac ne vix quidem, imo omnino non contingere poſſe, ut uteri corpus propendeat extra vulvam: atq; proinde non adeo frequentem eſſe hunc affectum, ac vulgo creditur; cæterum decipiuntur obſtetrices, & cum iis magna pars medicorum, (quod etiam confirmat Roonhuſius Chirurgus Amſtelodamenſis in ſuis obſervat.) à vagina rugoſa uteri, quæ poſt difficilem partum, aut etiam ab imperita obſtetrice, à ſubjectis partibus avulſa, accedente pituitoſorum humorum affluxu ita extenditur (quod in palpebra inferiore ſæpè contingere videmus) atq; in tantum ſæpè augetur hoc malum, ut extra vulvam pendula vagina imitetur vaſculum aliquod pyriforme: nam quo major eſt prolapſus, eo radix ipſius anguſtior fit: ac proinde cum ob gangrænam abſcindere eam cogimur, parvo admodum periculo idem fit.* Eorum verò, qui procidentiam uteri affirmant, & ratione æque ac experientia ſtabilire laborant, tantus eſt numerus, ut, ſi multitudo ſententiæ patrocinium pareret, de hujus veritate dubitari nullo modo deberet. Ut è multis patronis nonnullos allegemus Hildanus *cent.4. obſ 60. & ſeqq.* tria veri uteri prolapſus exemplo recenſet. Item Diemerbrœck *l 1. Anat. c.24.* ipſemet in concubina Satrapæ Leerdamenſis uterum ad duorum digitorum latitudinem è ſinu propendere vidit, quem ipſe manibus contrectavit, convenienteque inſtrumento verſus interiora in ſuum locum retruſit. Quibus addi meretur Salmuth. *Cent. I. Obſ. 77.* Platerus *L. III. p.m. 760. & ſeqq.* Dn. de Marchettis *Anat. c. 7.* Stalpart van der Wiel *Cent. I. Obſ. 67. & 69.* qui ibidem integrum patronorum hujus procidentiæ catalogum nobis exhibet, æque ac Job à Meckem *Obſ. Med Chir. c.54.* Item Barthol. *Cent. IV. Obſ. 2.* Dionis *Oper. Chir. Demonſtr. 3.* Verduc. *Oper. Chir. c.36.* Mauriceau *tr. des mal. des femm. groſſ. l.1. c.22.* Soling. *Embryulc. c.16.* Vesling. *Anat. c.7.* & Blaſius *in Not. ad hunc locum.* Porro Graaſius *l.c. c.10.* Deventer *l.1. c.4. & 9* Henr. à Mœnichen *Obſ.4.* Ephem. Germ. *Dec. Ann. 5. Obſ.68, Ann. 6. Obſ. 91. & Ann 9. Obſ. 149.* Quorum agmen claudat Frid. Ruyſchius, qui partim *Theſ. Anat. VI. num.*

63.

63. partim etiam *Obſerv. Anat. Chir. I. 7. 9. 24. 25.* verum uteri prolapſum, & quidem enormis magnitudinis nobis exhibet. Idem porro non raro etiam hoc viſcus poſt graves parturientium niſus inverti docet *Obſ. 10. & 26.* & Barbette *Chir. c. 8.* Et quorſum tandem prolaberemur & ipſi, ſi omnes hac de re Authores recitare vellemus. *Quibus certe Viris,* pergit ſupra allegatus Diemerbrœck, *multisq; aliis, qui illud ipſum teſtati ſunt non fuerunt cucurbitina capita, nec oculi tanto glaucomate obfuſcati, ut prolapſum uterum non cognoſcerent.* Jam quod totam hanc controverſiam attinet, non negamus dari etiam falſum uteri prolapſum, dum varia corpora alia e. gr. excreſcentiæ carneæ talem deſcenſum mentiuntur. Qua in re notatu quam maxime digna eſt Theod. Kerkringii *Obſerv. 53.* qui intererat ſectioni mulieris paſſione hyſterica defunctæ, in qua uterus, à cujus procidentia malum derivabant Medici, exſectus creditus poſt mortem debito in loco repertus eſt non ſine adſtantium riſu, ita ut loco uteri excreſcentia quædam carnea extirpata fuerit. Simile exemplum refert Barthol. *Cent. II. Hiſt. 58.* & Ephem. Germ. *Dec. I. Ann. 2. Obſ. 79.* Inprimis vero vagina uteri non raro talem procidentiam præ ſe fert, uti Job à Meckern *Obſ. Med. Chir.* multis probat, quod uterus poſt extirpationem ex opinione multorum adminiſtratam nihilominus poſt mortem ſalvus & integer in corpore viſus fuerit. conf. David van der Becke *Diſſ. de procid. Uter.* & Hoffmanni *Obſ. 181.* Ephem. Germ. *Dec. II. Ann. 10.* E quibus jam aliquo modo patet, quid ſentiendum ſit de decantata adeo uteri exſectione, de qua non rara hinc inde exempla proſtant apud Carpum Iſag. Anat. Paræum *l. 23. c. 41.* Riolan. *anthrop. l. 2. c. 34.* Ephem. Germ. *Dec. I. Ann. 6. & 7. obſ. 73. Dec. II. Ann. 5. Obſ. 150. & Ann. 7. Obſ. 54. & Ann. 9. Obſ. 94.* impr. apud Graafium *l. c. c. 10.* Pertinet ſane hæc operatio, quemadmodum etiam illa lienis & partus Cæſarei, ad claſſem iſtarum, de quibus in Theoria ultro citroque facile diſputatur, ubi vero ad rem & praxin devenitur, plerumque præſtat τὸ ἀπέχειν. Siquidem tanta vaſorum copia hoc viſcus perreptat, ut ejus abſciſſio ſi non lethalis, periculoſiſſima tamen exiſtat. Quam

non-

nonnulli nihilominus adeo extollunt, ut aliis perſuadere velint, fœminas poſt illam adhucdum generaſſe, id quod factu impoſſibile & creditu ridiculum eſt, ſed accipientes vaginam uteri pro ipſo utero erraverunt, uti benè concludit Henr. à Deventer *l. c. c.* 4. Ita ut illi decipiantur, qui corpus quodvis extra pudenda muliebria prominens verum uterum eſſe ſibi aliiſque perſuadent. Interim tamen qui omnem uteri prolapſum genuinum impoſſibilem aſſerunt, æque errare videntur, licet talis deſcenſus adeo frequenter, uti communiter ferunt, non contingat. Concludendum itaque eſt, ſæpius vaginam tantum, interdum etiam uteri corpus ſitum ſuum mutare, & quidem duplici modo, vel deſcendendo ſaltem, & leviter intra pudenda prominendo; vel præcipitando ad extra & propendendo, quod quia cum totali matricis & colli inverſione contingit, inverſionis nomine venire ſolet. Qua in re conſentientem habemus Pechlinum *l. 1. Obſ.* 20. Quam ſitus mutationem utplurimum à ligamentorum extenſione aut relaxatione dependere conſtat, & hydropicis præ aliis familiarem eſſe docet Barthol. Act. Hafn. *Vol. II. Obſ.* 44.

Noſtra ſententia.

Thesis XVII.

Vaſa uteri

Quibus jam examinatis, ad vaſa, quibus uterus luxuriat, progredimur. Et quod primo loco illa, quæ ſanguine hanc partem irrigant, attinet, ſunt ea numeroſiſſima, & duplicis generis, dum venæ arteriis ubique ſociantur. Dirimuntur utraque, annotante Cl. Verheyen, in ſuperiora & inferiora. Iſta à ramis ſpermaticis, vulgo, ſed improprie præparantibus dictis deſcendunt, in quibus notabilis eſt triplex divaricatio ad ovaria, ad tubas Fallopianas, & ad uterum, qui ultimus diviſionis ramus primarius eſt, atque amplitudine æque ac progreſſu quam maxime inſignis, & à Dn. Mauriceau *Prol. c. I.* in tres iterum ſurculos ſubdividitur. Inferiora ab hypogaſtricis, quæ iliacorum propagines ſunt, propullulant, atque ramis conſpicuis latera vaginæ ſalutant, indeque antrorſum, retrorſum, ſurſum, atque deorſum per uterum quam maxime exſpatiantur. Quidam ab hæmorrhoidalibus etiam nonnulla derivant, quæ tamen

Sunt duplicis generis.

men non niſi circa vaginam hærentia uterum vix attingunt. Horum autem vaſorum decurſus notatu quam maxime dignus eſt, ductu namque admodum flexuoſo & quaſi ſerpentino feruntur, atque capreolorum vitium inſtar inflexa & intorta ſunt, ſibi invicem præterea ita implicita & intertexta conſpiciuntur, ut, niſi flatu aut liquore colorato ea repleveris, non facile inter ſe diſtingui poſſint, quæ omnia Joh. Swammerdam & Regn. de Graaf eleganti figura depingi curarunt. Uti etiam multiplices eorum anaſtomoſes in gravidis potiſſimum conſpicuæ, quæ facile in oculos incurrunt, ubi major quidam venarum ramus flatu diſtenditur; hoc enim facto, omnes intumeſcunt. Dum autem de anaſtomoſibus ſermo nobis eſt, iſtas non tam intellectas volumus de venis cum arteriis, quas tamen Gualt. Needham *diſq. de form. fœt.* licet oculis non pateant, valde probabiles agnoſcit, quam illas vaſorum unius generis, nempe venarum cum venis & arteriarum cum arteriis, quales in toto corporis habitu occurrunt, & præcipue ubi provida natura ſedulo proſpicere voluit, ne forte ſanguis ſuo in motu turbetur aut impediatur, uti id in cerebri & meſenterii vaſculis obſervamus. Neq; tantum venarum oſcula in alias ejuſdem lateris venas hiant, ſed inſuper in illas oppoſiti aperiuntur, ita ut animali vivente ſanguis, & poſtea flatus ſine ullo impedimento tranſmeare poſſit, & dextræ pariter ac ſiniſtræ inflentur atque repleantur. Notabilis quoque eſt anaſtomoſis arteriæ hypogaſtricæ aſcendentis per latera colli & arteriæ ſpermaticæ deſcendentis. De venis hiſce porro bene annotavit Galenus *comm. ad part. 2. l. 6. epid. ſ.1.* quod, uti ordinarie numero æque atque capacitate arterias ſuperant, ita illæ matricis præ aliis reliquarum partium numeroſæ & amplæ ſint. Idque potiſſimum in prægnantibus in quibus pariter ac arteriæ ſtatim à conceptionis tempore non tantum in longitudinem extenduntur, ſed etiam ob majorem humorum affluxum continuo ampliantur & dilatantur, eoque magis, quo major grandiorque una cum utero fœtus evadit, ita ut ultimis geſtationis menſibus duplo vel triplo, imo decuplo majores appareant, atque tandem tota quanta varicoſa reddantur, id

eorum ductus

& anaſtomoſes.

Quid ſentiendum ſit de illis.

quod

quod multorum liberorum matribus poſt frequentiores partus accidere ſoleat, docente Riolano l. c. conf. Corn. Conſentini prog. 5. Hinc fidem facile merentur Obſervationes Gualt. Needham. *l. c.* & Riolan. *Anthrop. l. 6. c. 1.* quorum ille hæc vaſa, præcipue autem venas ſanguine adeo turgidas, ut digitum facile admiſerint, & hic emulgentibus venis ferme æquales vidit. Idem porro in gravida quinque menſium ſupplicio interemta minimi digiti craſſitiem vaſa ſpermatica æquaſſe deprehendit. Quæ mira vaſorum intumeſcentia & inflatio fœtu in lucem edito una cum utero ſubſidente decreſcit, dum ſanguis ex iis per lochiorum fluxum paulatim evacuatur, neque poſtea tanta in copia eo devehitur, donec ad priſtinum ſtatum hi canales redierint. Jam quod eorum per ipſam uteri texturam decurſum attinet, negat quidem Riolanus illas per ejus ſubſtantiam venas diſcurrere, quia tota ſpongioſa eſt ac fiſtuloſa, ſed falli eum alioſque autopſia & Blaſius *not. ad Veſling.* demonſtrant. Certum namque eſt, quod, ſi membranaceum matricis tegmen, tunica nempe exterior, dematur, invenientur arteriæ per interiorem paulatim repere, donec ad intimam fere uteri ſuperficiem pertingunt. Marc. Malpighius, qui in indagando horum vaſorum progreſſu non parum laboravit, eorum varias *in diſſert. de utero* productiones exhibet, dum alia interius intra fibras carneas latere, uterumque ingreſſa rete quoddam elegans efformare docet, alia vero ex uteri ſubſtantia rurſus emergere aſſerit; diverſæ magnitudinis & capacitatis, ut modo ſtylum vix admittant, modo auricularis digiti latitudinem æquent, modo etiam, præſertim interiora, ita gracileſcant, ut quaſi inconſpicua reddantur. diverſæ itidem figuræ exiſtunt hæc vaſa, nam licet tubuloſa ſint & continuato tramite ferantur, ab ambiente tamen involucro atque interiori ſtructura varie deturbantur, ita ut multiplices formas acquirant. Pertingunt itaque vaſa ad fundi cavitatem, non hiant tamen nec aperiuntur in eandem niſi illo tempore, quo fluxum menſtruum patiuntur aut conceperunt mulieres, aut etiam brevi poſt partum, adeoque eo pertingere non videntur, quamdiu non reſerantur, uti teſtatur

Non hiant niſi tempore flux⁹ menſtrui aut conceptionis vel poſt partum,

Bartho-

Bartholinus *Cent. III. Epiſt.* 10. ſic etiam Dn. Mery in fœmina quatuor poſt enixum fœtum horis mortua vaſorum oſcula manifeſte hiantia vidit *Hiſt. Acad. Reg. Scient. Ann.* 1706. *p.* 27. Quando autem non hiant, oculis ſeſe non ſiſtunt, neque artificio detegi poſſunt, quia tenuis etiam liquor, qualis atramentum eſt, ſiphone iiſdem injectus extremos vaſorum capillarium fines non ſubit. Methodum vero, qua dicta vaſcula aliquo modo in conſpectum veniunt, oſtendit idem Malpighius l. c. Uſum hæc vaſa generalem eundem habent, quem in aliis corporis partibus; arteriæ namque, dilectum naturæ filium, ſanguinem ad uterum pro ejus alimento advehunt, venæ eundem à nutritione reſiduum ad cor revehunt. Circa quem tamen in ſpecie notandum eſt, quod non utero ſolum, ſed & ejus incolæ, nimirum fœtui, certo tempore proſpiciant, quem in finem in gravidis multo major ſucci hujus alimentarii quantitas per arteriarum ſurculos ad has partes à natura amandatur, unde venas pariter ac arterias in iiſdem mirum in modum turgere ſupra diximus. Qua ratione autem id fiat Gualt. Needham *diſq. de form. fœt.* prolixe oſtendit.

Thesis XVIII.

An ſanguis menſtruus ex uteri vaſis erumpat.

Antequam ad examen reliquorum vaſorum pergimus, delibanda quæſtio eſt de ſanguine menſtruo, an nimirum ille ex uteri vaſis evacuetur? In limine autem ſtatim monemus, nos varias de ejus cauſis lites nullo modo noſtras facere, neque immorari velle diſquiſitioni, utrum lunare hoc tributum ab ipſa luna, an vero fermento quodam peculiari, an denique à ſpeciali quadam malignitate ſanguinis ideo repurgandi dependeat, cum Franc. Bayle *pecul. diſſ. de cauſis flux. menſtr. mul.* prolixe hanc controverſiam tractaverit, atque è Recentioribus nullus facile ſit, qui non perſuaſum ſibi habeat, hanc ſanguinis portionem, qua certo tempore nutriri debet embryo, extra imprægnationis ſtatum in corpore mulieris abundare, unde etiam eo ætatis anno, quo ad concipiendum habiles evadunt, ordinaria naturæ lege erumpere incipiunt, & quo ineptæ rurſus fiunt, iterum ceſſant. Ad

quæ

quæſtionem ipſam potius accedimus, in qua decidenda variant Scriptores. Inter illos enim nonnulli eandem determinare non auſi in dubio relinquunt, uti Mercurialis *Præl. Piſan. de gener.* & Taury *tr. de la nourrit. du fœtus.* Alii vero ex ipſo utero hunc humorem effluere contendunt, quorum claſſi adſcribendus eſt Andr. Veſalius, Adr. Spigelius, Roder. à Caſtro, Petr. Dionis *Anat. S.* 2. *Dem.* 4. & Dn. de Littre *Mem. Acad. Reg. Scient.* 1702. Quorum veſtigia ut premeret Joh. Bapt. Morgagnus, repetitæ obſervationes eum compulerunt. Obſervavit namque, uti *in Adverſ. Anat. pag.* 38. teſtatur, tam in virginibus quam mulieribus vel in ipſo ſanguinis profluvio, vel ſtatim poſt illud demortuis, neque ex vagina uteri, neque ex ejus cervice aliquid humoris prodiiſſe, ſed potius ex utero, cujus fundus maculis ſanguineis diſtinctus erat, quæ vel leviter compreſſæ guttulas cruentas plorabant. Quibus porro adſtipulatur Frid. Ruyſchius *Theſ. Anat. IV. num.* 98. qui in utero mulieris menſtruatæ copioſum cruorem coagulatum reperit, nec non Graafius, qui menſtruam eluviem naturaliter per uterum expurgari rationibus & experimentis comprobat, & non per vaginam aliaſque partes, per quas perperam ejus fluxum derivari quidam autumant. Argumenta horum congeſſit Cl. Bohnius *Circ. Anat. prog.* 16. Alii è contrario, inter quos Reald. Columbus, Car. Piſo, Rolfincius, Cochburnius, Bohnius, Ortlobius, Verducius, &, qui noviſſime acceſſit, Cl. Bergerus recenſeri merentur, ſanguinem menſtruum non è fundo uteri, ſed è vagina deſtillare, ceu rem exploratam compertamque pronunciant; perſuaſi partim authoritate Hippocratis, qui gravidis, in quibus per aliquot interdum menſes emanat hic ſanguis, os uteri clauſum *S.* 5. *Aph.* 51. perhibet, partim etiam innixi αυτοψίᾳ, qua in mulieribus vel in ipſo fluxu vel brevi poſt ſolutum tributum demortuis atque diſſectis vaginam cruentam, incruentum vero uterum deprehenderunt. Sed facile conciliari inter ſe poſſunt opiniones hæ contrariæ, dicendo quod ex utero & ſimul etiam ex ejus vagina ſcaturiat hic fons ſanguineus; quam unionem quoque ſuadet autopſia Anatomica, quippe quæ vaſa uteri,

infe-

inferiora ſaltem, & vaginæ eadem eſſe, & ab eodem ramo hypogaſtrico propullulare demonſtrat, conf. *Tab.*13. Regn. de Graaf. ita ut facile concipi poſſit, quomodo ſanguis una eademque preſſione per utrumque propellatur & expellatur; quamvis & hoc non inficiemur, veroſimilius eſſe, ſanguinem, ſi quis forte è gravida extillat è vagina potius ſola erumpere, qui etiam hanc ob cauſam adeo copioſus non eſt. Qua in re conſentientem habemus Lindanum, Franc. Mauriceau *Prol. c.*10. & præcipue Cl. Verheyen *Supplem. tr. I. c.*20. qui has nobiſcum vias partiuntur

Thesis XIX.

Perluſtratis jam vaſis ſanguiferis, pergimus ad nervos uteri, qui motus ſenſuſque inſtrumenta recte dicuntur, dum hæ actiones ab anima in cerebro potiſſimum tanquam in ſolio reſidente peraguntur, ſive illud jam fiat mediantibus ſpiritibus animalibus, qui ad omnes corporis partes amandantur, rurſuſque ad cerebrum refluunt, ſive beneficio motus cujuſdam vibratorii, qui modo à cerebro verſus partes, modo contrario & retrogrado motu continuatur. Et licet uterus inſigni motione non gaudeat, varii tamen generis & originis nervis inſtructus eſt, quo exquiſitus nunquam non ſenſus in illo vigeat, qui ob rationes jam non explicandas quam maxime neceſſarius eſt. Perreptant autem hi nervi inferiorem præprimis fundi partem & collum, ita tamen ut pars ejus ſuperior iiſdem non deſtituatur, propullulantque, uti illi reliquarum in pelvi ſitarum partium, triplici à trunco atque origine, quorum primus eſt nervus Veteribus ſextæ, Recentioribus octavæ conjugationis, qui poſtquam pleriſque infimi ventris viſceribus ſurculos largitus eſſet, cum intercoſtali junctus conſtituit plexū meſaraicum inferiorem, à quo plura filamenta nervea prodeunt utero proſpicientia, quæ Dn. Vieuſſens *Nevrograph. tab.* 23. *num.* 81. eleganter depingi curavit. Hinc, quia hæc propago nervea cum omnibus fere partibus communionem habet, in affectionibus hyſtericis infimi mediique ventris viſcera, ipſumque caput, imo & reliquæ partes in conſenſum trahuntur.

Nervi uteri.

Præbent Utero ſenſum.

Unde dependent.

tur. Inprimis vero quia octava hæc conjugatio ſurculi cujuſdam interventu cum plexu cervicalium gangli formi communicat, idem Vieuſſens illud hyſtericarum & hypochondriacorum ſymptoma, quo guttur in conſenſum trahitur & ſuffocationis ſenſus affectos torquet, inde derivat. Secundus, qui ad uterum fertur, nervus deſcendit ab ultimis ſpinalis medullæ propaginibus, quæ per foramina oſſis ſacri foras exeuntes brevi decurſu ad partes in aqualiculo ſitas progrediuntur. vid. Thom. Williſii *tab. II.* Uniuntur mox poſt egreſſum cum extremitate nervi intercoſtalis dicti, qui tertius eſt, & à ſexta conjugatione exortus penetrato thorace abdomen ſubintrat, atque non niſi circa ejus extrema terminatur; recipit præterea, uti omnes ſpinalis medullæ propagines, ita etiam illas, quæ ex oſſe ſacro egrediuntur, quas Dn. Vieuſſens *tab.* 23. *num.* 84. exhibet. Hinc, judicante eodem, *mirum non eſt, quod in affectibus hyſtericis, modo totum corpus, modo dimidia, aut quædam tantum illius pars graviore vel leviore ſpaſmo corripiatur, cum modo uterque, modo alteruter ſolum nervus intercoſtalis in toto tractu, vel in aliqua tantum ſui parte gravius vel levius affici poſſit.* Mediantibus hiſce nervis uterus cum omnibus ferme totius corporis partibus, præſertim vero cum cerebro communicat, unde univerſalis ille cum iiſdem conſenſus, de quo ſupra §. 6. egimus, ſatis ſuperque patet, quem tamen Spigelius à vaſorum unione derivare mavult.

Theſis XX.

Vaſa lymphatica. Superſunt Vaſa Lymphatica, quæ, ut cum Cl. Verheyen loquamur, *niſi turgeant propter ſubtilitatem & tunicarum pelluciditatem oculorum aciem facile eludunt, unde in homine difficillime obſervantur, quia ante depleta ſunt, quam Anatomico aperiendi cadaveris poteſtas datur.* Et hinc etiam factum eſt, ut, quantum eidem pariter ac nobis conſtat, nullus unquam in utero humano illa obſervaverit; nam & ea, quæ Graafius nobis *Tab. XI.* reliquit, item quæ Malpighius *diſſ. de uter.* deſcribit, nonniſi è brutorum diſſectionibus deſumta ſunt. Id quod Bartholinus, ſolertiſſimus lymphæ ejuſque ductuum perſcrutator, etiam non diffitetur, dum *tr. de vaſ. lymphat. in hom.* *Quanquam autem*, in-

Utrũ Utero inſint?

quit,

quit, *in his omnibus* (loquitur de veſica, renibus, utero, ventriculo &c. in homine) *necdum vaſa lymphatica ſint inventa, poſterus tamen id eſt relictum.* Quicquid autem ſit, idem Verheyen, *Anat. tr.* 2. *c.* 27. & Regn. de Graaf. *defenſ. part. genit.* & quidem recte de eorum exiſtentia nullatenus dubitant, cùm non minoris in homine utilitatis & neceſſitatis ſint, quam in brutis animalibus. conſ. de his vaſis præter Bartholinum l. c. præcipuos eorum aſſertores & inventores Ol. Rudbeckium Suecum, Lud. Bilſium Belgam &c. qui cum Iolivio Anglo de prima inventionis gloria acriter concertarunt. Affirmatur.

Tandem aliqua etiam mentio facienda eſt vaſorum lacteorum, quæ non exiguo in numero ad uterum properare quibuſdam videntur. Ant. Deuſingius, Vir de re anatomica præclare meritus, tam in *diſſert. de lact.* quam *Inſt. Anat. p.* 7. *c.* 3. §. 16. inumerabiles ramos lacteos per ligamenta uteri lata ad ipſa cornua, totumque uteri corpus decurrentia in catella fœta ſe obſervaſſe; alium inſuper ductum chyliferum cum vaſis umbilicalibus per umbilicum catellorum in utero adhuc concluſorum notaſſe ſcribit. Idem Thom. Bartholinus *tr. de lact. thorac. tot. cap.* 10. probatum it multis argumentis, quæ *Anat. Ref. l.* 1. *c.* 28. etiam inculcat, quorum præcipuum facile eſt, quod illa ipſa ſuccum alimentarium pro fœtus nutritione eo advehere debeant. *conſ. tr. de hep. exauct. deſper. cauſ.* Quibus adſtipulatur Isbr. Diemerbrœck *Anat. l.* 1. *c.* 17. ita concludens: *Quæ omnia ſatis indicare videntur, quod vaſa quædam lactea ad uterum, & nonnulla etiam ad veſicam excurrant, per eaque nonnunquam hujuſmodi liquores & interdum etiam res aliquæ ſolidæ ad illas partes pervenire poſſint.* Suam porro autopſiam hac in re urget Everhardus in cuniculis aliiſque animalibus, contra quem prolixe diſputat Needham l. c. atque experimento contrarium probat. Sed vereor, ne vaſa lymphatica, quæ ab utero ad ciſternam chyli tendunt, Viris hiſce impoſuerint, ita ut hæc pro lacteis venditent, cujus erroris exempla non rara proſtant. Siquidem oculatiſſimus alias Bartholinus ingenue fatetur, idem ſibi accidiſſe, quod vaſa lymphatica hepati propria pro ramulis lacteis à meſenterio ad hepar pergentibus habuerit; quid mirum ergo, ſi aliis

Vaſa Lactea

An iis gaudeat Uterus?

aliis illud ipſum quoque evenit? Quod vero argumenta ab excretis deſumta ſpectat, illa probabilitatem aliqualem, nullam vero demonſtrationem ſuadent; quibus accedit, quod, deficientibus licet vaſis ad uterum lacteis, embryo nihilominus habeat, de quo nutriri poſſit, idem namque humor ad uterum, qui ad mammas nutrimentum ſecum vehere videtur. Concludimus itaque, quod clariſſimorum quidem Anatomicorum avtopſiam in dubium vocare, aut rationes convellere nolimus, interim tamen neque illi nobis vitio vertent, ſi tardiores ſumus ad aſſenſum rei præbendum, quæ clare demonſtrari ad hunc uſque diem non potuit.

Thesis XXI.

Quis Uteri Uſus ſit?

Sed properandum ad finem, atque uteri uſus, quantum pagina hæc permittit, brevibus etiam perluſtrandus eſt. Quem non poſſumus melius ob oculos ponere, quam dicendo cum Cl. Malpighio, quod matrix ex ſua natura ſit fœcundiſſimus vegetationis ager, in quo ſata ſemina ſeu ova foventur, & viventes partes explicatiores redditæ manifeſtantur atque firmantur. Ita ſane ſeſe res habet. In hoc enim, tanquam ſecretiore quadam officina, providus ille atque Sapientiſſimus corporis humani Conditor generationis negotium totum, miramque tot partium conſtructionem ex ovuli fœcundi paucis guttulis orditur atque abſolvit. Prolixi jam non erimus in enarrando, ſimulque refutando Venerandæ alias Antiquitatis placito, ac ſi generatio à miſcela ſeminis virilis cum muliebri fieret, unde opus habebant virtutem quandam plaſticam ſeu architectonicam, quæ partes rite formaret, utero affingere, de qua vide Diemerbrœck *Anat. l.1.c.28.* Sicco illud pede tranſimus, uti etiam plures alias fictiones ſæpe ridiculas, quarum aliquas Bartholinus *Anat. l. c.* recenſet.

Ex ovo hominem prognaſci conſtat.

Nam ex quo Recentiores generationis negotium ab ovo deduxerunt, atque firmiſſimis tam rationibus quam experimentis, quæ in ſcenam producere longum nimis foret, luculentiſſime comprobarunt, hominem æque ac alia animantia, vivipara vulgo dicta, ex ovo prognaſci, allegata Veterum ſenten-

ſententia expiravit, ita ut nullos vel pauciſſimos ſaltem patronos noſtro hoc ſeculo habeat. Id ſolummodo agemus, ut totum generationis proceſſum, in quo tot ſtupenda totque admiranda, quæ mirari magis quam rimari licet, occurrunt, rudi quamvis penicillo adumbremus. Aura ſeminis virilis in amplexibus venereis coituque fœcundo intra uterum recepta, inde mox ulterius ad ovarium mulieris progreditur vel breviore via per tubas Fallopianas, vel etiam longiore juxta conſuetas circulationis leges cum tota maſſa ſanguinea, ſicque ovulum maturum, in quo totius fœtus rudimenta delineata jam ſunt, ſubiens, humoreſque ejus in motum exagitans, illud ad ſeparationem à teſticulo invitat, vel etiam (quod nonnulli non ſine probabilitate urgent) in quovis coitu ovulum abſcedit à dicto ovario, inque uteri cavitatem deſcendit, in qua demum fœcundatur. Quo facto uterus novum hoſpitem exceptum blande amplexatur, ſuoque calore fovet, ſeſeque ipſi ita unit, ut nonniſi unum corpus eſſe videatur. Et quo lætius augeri, creſcere & vegetari poſſit, ipſi etiam ſufficientem nutrimenti copiam per arterias advectam propinat; cedit præterea embryoni ſecundum omnes dimenſiones creſcenti, & ſpatium illi majus concedit, atque ne forte injuriæ externæ illum, utpote tenerrimum, lædant, firmiter etiam per totum geſtationis tempus clauditur. Donec tandem tantam in molem excreverit fœtus, ut liberioris aëris indigus & loci anguſtioris impatiens ex illo ſuo hactenus inhabitato domicilio dicam, an ergaſtulo, eluctari laboret, quod ut eo facilius fieri poſſit, eum non deſtituit uterus, ſed ejus potius exitum valida ſua conſtrictione pro viribus juvat & promovet, & quia ipſe ſolus id præſtare non valet, reliquas corporis partes in ſubſidium convocat. E quibus patet, quam neceſſaria ſit hæc pars ad conſervationem & propagationem generis humani, quippe quod brevi interiret, ſi illa ſuo defungi officio ceſſaret. Hinc ſatis mirari non poſſumus fuiſſe Medicos, qui ſtatuerint, mulieres carere poſſe utero, hincque ejus exſectionem probaverint ſuaſerintque, de qua præter autores ſupra Theſ. 16. citatos vid. Franci *Sat. Med. Contr. I.* § 1 Barthol. *Cent. II. Hiſt.* 2. & *Cent. III. Ep.* 64. Interim tamen egregia, quæ modo recitavi-

Modus quomodo conceptio fiat.

G mus,

Aliæ con-cepti fœ-tus ſedes recenſen-tur.

mus, munia, ſoli utero competere non videntur, ſiquidè in aliis etiam corporis partibus fœtus concepti atque formati leguntur. Sic ſupra Theſ. 4. ex *Actis Anglican.* 1699. annotavimus obſervationem Vaſſalii Chirurgi, à Graafio *l.c. c.*14. memoratam & depictam, quæ fœtum in tuba Fallopiana repertum eſſe docet, cum qua concordat illa Dn. Littre *Mem. Acad. Reg. Scient.* 1702. Similes recenſet Joh. Riolanus *Anthropogr. l.*2. *c.*34. & Marquardus *in Empir. Pract.* Imo etiam in ipſa abdominis, ventriculi &c. cavitate tales non raro embryones inventos fuiſſe declarant *Ephem. Germ. Dec.I. Ann.I. Obſ.*110. una cum variis viis extraordinariis, quibus ex hoſpitio eruperunt; & *Dec.II. Ann.I. Obſ.*10. Bartholinus item *Cent.III. Ep.*8. Monconnys *Itiner. p.*2. *p.*450. Extat quoque peculiaris Ant. Deuſingii *tractatus de fœtu extra uterum in abdomine genito.* Sed quales fuerunt fœtus illi? ſceletis quam embryonibus ſimiliores, emaciati, exſucci atque exangues, adeo ut totus corpuſculi habitus ſatis indicaverit, iſtos non à matrice veluti benigna matre, ſed à noverca eſſe enutritos. Quod autem ſupra diximus de utero, nimirum quod fœtum ſua in cavitate foveat, id de ordinariis naturæ legibus intelligendum eſt, in ſtatu enim præternaturali ſæpius alia etiam corpora in eodem hoſpitari nos non latet, e. gr. molas aut ſarcomata, calculos, vermes, mures, glires, talpas, buſones, ſerpentes, id quod teſtantur *Ephem. Natur. Curioſ.* Ruyſchius *Theſ. Anat. VI. num.* 25. *Republiq. des Lettres ann.* 1686. *t.*2. *p.*187. *& ann. ſeq. t.*1. *p.*173. Antequam autem hanc de utero tractationem obſignamus, non poſſumus non terque quaterque felicem prædicare ſequiorem ſexum, ideo quod Benigniſſimus Creator tam utilem, tamque neceſſariam generi humano partem ipſi largitus eſt; ſed non poſſumus, quin vel hoc etiam nomine infelicem illum pronunciemus, ſiquidem Medicorum facile Principis Hippocratis jam effato *l.*2. *de morb. mulier.* ipſe hic uterus, ſi non omnium, multorum ſane morborum cauſa eſt, id quod Cl. Wedelius *Exerc. Med. Phil. Dec. I. Ex.* 6. multis comprobavit. Quo ſenſu etiam, ille per ignem Philoſophus, Helmontius dicere ſolitus eſt, *fœminam omnem morbum bis pati,* & Guern. Rolfincius *epit. cognoſc. & cur. morb.* non immerito exclamavit; *commiſeratione dignam eſſe fœminei*

Sexus ſe-quioris conditio.

minei ſexus conditionem, quod præter tot morbos viris communes variis tentetur ægritudinibus, quæ muliebres dicuntur. Sane ſi labores atque dolores, qui tempore partus ipſis mulieribus perferendi ſunt, atque, teſte etiam S. Scriptura, inſignes & exquiſitiſſimi utplurimum exiſtunt, conſideramus, hi ſoli conditioni hujus ſexus declarandæ ſufficiunt. Unde Medea apud Euripidem in hæc erupit verba, *ſe malle ter in acie ſtare, quam ſemel parere.*

TANTUM.

Ad

Nobiliſsimum Dn. Candidatum GUILIELMUM ANTONIUM Reiß/

Amicum ſuum multò honoratiſſimum, de UTERO diſputaturum.

N*On ſunt facienda* Mala, *ut inde eveniant* Bona; *adagio quidem dicitur, at dicto non obtemperatur. Tu Nobiliſsime Candidate in exemplum Te ipſum proponis,* Malumque, *ut Bonum eveniret, committis. Caſtra enim* Themidis *deſeris,* Machaonis *vero ſequeris. Perge*

 bonis

bonis avibus, auſuſque Tuos in Cathedra Tanto ſub præſide VIRO, defendendo, in Ampliſsimi Parentis *magnum Gaudium, Tuique ipſius honorem, ut Virum decet, urge; Sic Tibi pro meritis manſuras Gloria Laudes ſervabit.*

Quod, ut cum omnigena felicitate
Doctiſſimo DN. DEFENDENTI
eveniat ὁλοψύχως vovet

dab. Argent. è Muséo
d. 26. Decembr. 1712.

Franciſc. Balthaſ. von Lindern.
M. D.

Res, quæ fixa diu perſtet, neſcitur in Orbe,
Sed mutare vices omnia crede citò.
Ante dies paucos civilia Jura ſecutus,
Nunc Medices cultor. Miror & Obſtupeo!
Ipſe tuæ ſortis dicas non Immemor ergo:
Quam citò devivo, fio cadaver Ego!

Sic fratri ter amando accinit

Carolus Joſephus Reiß/
Redux in Patriam.

) * * * (